




Fe. 92.

IOANNIS GOTTLIBII  
HEINECCHI  
COMMENTATIO  
DE  
V S V  
ET  
PRAESTANTIA  
VETERVM NVMISMATVM  
IN  
IVRIS PRUDENTIA

---

ANDREAS GOEZIVS  
SEORSIM EDIDIT



NORIMBERGAE  
IN TABERNA BAVERIANA  
A. S. R. 1800

KDEN. FRIED.  
UNIVERS.  
ZU HALLE



VIRO  
PRAESTANTI AC STRENO  
IOANNI GEORGIO  
MARX  
NORIMBERGENSI  
NVMEROSIORIS SENATVS  
MEMBRO  
CENTVRIAЕ CIVICAE  
SVBCENTVRIONI  
LITTERATORVM ATQVE ARTIFICVM  
CVLTORI  
AMICO SVO OPTIMO

IN PIETATIS  
ET NON INGRATAE MENTIS  
INDELEBILE TESTIMONIVM  
HVNC LIBELLVM  
DAT DEDICAT QVE  
LONGISSIMAM VITAM  
FELICISSIMAMQVE APPRECATVR

A. GOEZ



NVMARIAE REI

CVLTORIBVS

A N D . G O E Z

S . P . D

QVIBVS contingit esse felicibus, ut  
omnia iustitiae et aequitatis, immo Mu-  
sarum quondam sacerdotis, immorta-  
lis IOANNIS GOTTLIBII HEINEC  
CII scripta, in forulis custodiant: ma-  
gnum mihi profecto eruditionis huma-  
nae possidere thesaurum uidentur. Mi-  
hi est Heineccianum nomen sanctum,  
atque ingentia tanti tamque magni et

A 3

ce-



celebratissimi uiri in bonas litteras  
merita aetatem a me coluntur.

In quorundam electorum tantum  
amicorum usum, quibus et mihi, ue-  
teres numi, \*) gemmae sculptae anti-  
quae,

\*) De numorum in historia utilitate legi-  
meretur, quae IOANNES IACOB. LVCKI-  
VS, et dedicat. et praefat. *sylloges*  
*numismatum elegantiorum*, Argen-  
tinae, 1505, foliis non complicatis,  
docte scripsit; et illa quidem: *Quod*  
*taediosa non nunquam prolixitate*  
*libri ac uolumina, id compendiosa*  
*breuitate, numi praestant;* hac uero:  
*Sunt numi certa minimeque dubia*  
*rerum gestarum documenta: sunt hi-*  
*storiis, quia simul cum re ipsa nati,*  
*plerumque antiquiores. Sunt quia*  
*temere adulterari, citra perspicua*  
*doli argumenta, nequeunt, ut uo-*  
*luptate, sic fide, potiores, ita qui-*  
*dem,*



7

quae, ac uetustae inscriptiones, \*) genuis sunt uoluptatis, atque operaे plurimum studiique in his consumunt, hanc eruditam Heineccianam lucubrationem typis dandam curauit, ringebus licet inimicis facie torua, in me ac meos quatuor dilectissimos filiolos, uxore unicaque filiola non exceptis, (quos DEVS mihi conservet!) Cogitis me iniuriae uestrae clandestinas causas proferre, nihil agitis, non dicam, sed

A 4

ipsum

*dem, ut historias non raro ad fidem  
numorum oporteat; non e diuerso  
numos ad illarum rationem accom-  
modare.*

\*) SCALIGERANA

MVLTA IN NVMIS [ GEMMIS SCAL  
PTIS ] ET ANT QVIS INSCRI  
PTIONIBVS LATENT QVAE  
NOS FVGIVNT



ipsum denique tempus eas patefaciet. Virtutis interea labor, uera mihi uoluptatis erit exercitatio. Memini me legere apud PLINIVM: *Sunt homines, qui ut uenena nascuntur, qui non aliter quam nocere posunt.* Siccis denique oculis, osoribus, qui sibi ipsi plagam insanabilem ac sempiternam ignominiam inflixerunt, medium unguem ostendam.

Non possum non tandem confiteri,  
quae habeo instituta, *de antiquitatibus  
Romanis in numis uetustis obuiis*, me,  
quoad sine ualetudinis iactura fieri pos-  
set, perpoliturum. Antiquissimi tem-  
poris maximorum, illustrium, et ce-  
lebratissimorum virorum, non nulla-  
rum quoque memoria dignissimarum  
matronarum ac feminarum ora numi  
ostendunt, ut artifices loquuntur, in  
minia-



5

miniatura: teste D. IVNIO IVVENA  
LE, sat. XIII, us. 291:

Concisum argentum in titulos faci-  
esque minutas.

Valete , LECTORES CANDIDIS  
SIMI AMICISSIMIque , et , quaeſo ,  
de me ac meis innocentibus conatibus  
mollem ſententiam ferte , mihi que , fi  
merear , fauete . Scripsi Cadolzburgi  
in agro Onoldino , in cantoris et scho-  
lae moderatoris IOAN. MATTHIAE  
MAIERI , amici mei candidifimi do-  
micio , VI calendas Sextiles , anno ,  
quam AETERNI PATRIS FILIVS ,  
omnem terrarum orbem ſuo aduentu  
conſecrare uoluit , 1572

A 5


C. PLI



C. PLINIUS

*lib. VI, ep. 21*

SVM EX IIS QVI MIRER AN  
TIQVOS NON TAMEN VT QVI  
DAM TEMPORVM NOSTRORVM  
INGENIA DESPICIO NEQVE ENIM  
QVASI LASSA ET EFOETA NA  
TVRA VT NIHIL IAM LAVDA  
BILE PARIAT





IO. GOTTL. HEINECCIVS  
DE  
VSV ET PRAESTANTIA  
VETERVM NVMISMATVM  
IN IVRISPRVDENTIA \*)

Q VVM omnes artes , non modo  
quae ad humanitatem pertinent,  
sed et, quae in diuinarum humana-  
rumque rerum intelligentia versantur, com-  
muni uinculo , et quasi cognatione qua-  
dam

\*) Est praefatio NICOL. HIERON.  
GVNDLINGII *exercitationibus acade-  
micis praemissa*, Halae Magdeburg.  
∞ 1536, et 1537. 4, tom. II



dam inter se continentur: tum praecipue sapientia illa ciuilis, quam iureconsulti profitentur, ita cum omnis aeui historia atque antiquitate coniuncta ac copulata est, ut qui eas conantur distrahere ac diuellere, illi mihi lucis ac caloris dissidium quoddam inducere uelle videantur. Difficile equidem est, fiat e., plusne lucis historia ex iurisprudentiae libris, an iurisprudentia ex historiarum monumentis accipiat: sed liquido tamen affirmare possumus *cum ERANC. BALDWINO*, qui hoc argumentum ornate copioseque exsequutus est, a) sic utramque esse comparatam, ut, quod ille ait, altera alterius poscat opem, et coniuret amice. Tameisi uero iam inde ab illis temporibus, quibus iurisprudentia res florescere coepit, perpaucis persuaderi potuerit, ut pulcherrimas has scientias coniungerent, quin plerique, qui se iurisprudentiae consecraverant, in nastissimis BARTOLI et ALDI uoluminibus peruvolutandis conseruescere malent, alii, qui ele-

gan-

a) *De instit. hist. uniu. et eius cum iurispr. coniunctione, libr. II, pag. 105.*

gantioribus studiis delectabantur, illitteratisimas illas litteras, tanquam meram barbariem atque illuniem, adspernarentur: attamen et paucos illos, qui pares erant in utraque facultate, adeo admiratur posteritas, ut breues eorum libellos, quibus iuri nostro lucem ex historia foenerare studuerunt, uastis illis reliquorum iureconsultorum uoluminibus, Accursiano absinthio probe conditis, longe anteponant. Quum enim boni hi uiri id unice egerint, ut de rebus illis, in quibus ingenium atque industriam exercere statuerant, omnia, quae apud alios legerant, genuina, spuria, domestica, peregrina, bona, mala, ad rem facientia, *απερσδινυτα* coaceruant, et initio quasdam inde propositiones cuderent, deinde illas ad multas species alias proferri posse ostenderent, hinc porro easdem tam arctis circumscriberent limitibus, ut propemodum officium perderent, denique genere dicendi uterentur, sordido, inficeto, barbaro, nihilque, quantumuis notum et peruulgatum, proferrent, quod non aliquot legum et de promtorum

ex

ex glossatoribus testimoniorum centuriis  
firmarent: aliter plane rationes suas com-  
ponebant ii, qui elegantioris litteraturae  
historiarumque praesidia ad iurispruden-  
tiae studium attulerant. Si enim de legum  
originibus ac uera sententia soliciti, nihil  
reliqui faciebant, ut ipsum iurium nexum  
ostenderent, omnia ad principia genuina  
et domestica reuocarent, denique, quae-  
cunque dicerent scriberentue, non modo  
iusto ordine, sed et genere dicendi puro,  
perspicuo, uereque Latino proponerent.  
Ut adeo quantum interest inter centonem,  
ex uariis non eiusdem materiae ac coloris  
pannis et laciniis male consutum, et ue-  
stem mundam, cui suus color suaque for-  
ma constat: tantum interesse uideatur in-  
ter scriptores illos barbaros, et hos ele-  
gantiores ac factindos, qui, ex ipso rei Ro-  
manae statu interpretandas esse Romanas  
leges, probe intellexerunt. Ceterum quem-  
admodum nulla pars est historiae ueteris,  
quin iurisprudentiae studioso incredibilem  
afferat utilitatem: ita dubitare non licet,  
quin et ex uetusis numis permultum lucis

ac-

accedere possit arti nostrae, si quis id cum  
 cura agere uellet. Ego quidem, quamuis  
 nec eo, quo opus est, apparatu instructus,  
 nec otio, quod hoc litterarum genus re-  
 quirit, admodum abundans, tamen dum  
 aliquando in haec uireta excurro, quaedam  
 eius generis, quae notatu haut ui-  
 dentur indigna, obseruasse mihi uideor.  
 Quamobrem usurus hac occasione, dum  
 in uiri olim eruditissimi, NIC. HIER. GVND  
 LINGII *dissertationes*, uno fasciculo com-  
 prehensas, aliquid praefari iussus sum, hac  
 de re tecum, LECTOR BENEVOLE,  
 quaedam confabulabor, VSVMque et  
 PRAESTANTIAM VETERVM NVMIS  
 MATVM IN IVRISPRVDENTIA speci-  
 minibus quibusdam, quae se haec scriben-  
 ti sponte offerunt, demonstrabo paullo ac-  
 curatius. Quamuis enim talia non soleant  
 omnibus ad palatum esse, neque ipse ego  
 illa eius generis esse existimem, ut impu-  
 ne a iuris studiis non ignorentur: da-  
 bitur tamen milii, ut opinor, haec uenia,  
 ut aliis seuerioribus, quibus quotidie i-  
 stringor, negotiis defesus, aliquando  
 amoe-



amoeniores has litteras recelam, eademque opera et animum quodammodo reficiam a quotidiano strepitu, et utilitatem uoluptatemque aliquam harum rerum intelligentibus afferre coner, iinitatus poetas, de quibus HORATIVS: b)

*Et prodesse uolunt, et delectare poetae.*

Evidem neminem ego tam esse hospitem arbitror in elegantiore litteratura, ut ignoret opus illud splendidissimum uiri olim et dignitate, et meritis in utramque rem publicam, et reconditae doctrinae copia uere illustris, EZ. SPANHEMII *de usu et praestantia numismatum*, quo non modo dignitatem auctoritatemque numorum, uerum etiam incredibilem eorundem utilitatem in omni doctrinae scientiarumque genere tam luculentis argumentis, tantoque uariæ eruditioñis apparatu demonstrauit, nt ne spicilegium quidem aliis, eandem rem acturis, reliquise uideatur. Et sane

fi

b) *De arte poetica*, u. 333.

si quid forte olim fugerit uiri incomparabilis diligentiam, quum opus illud imperfectius, et nondum suis absolutum numeris, modico uolumine prodiret; saltim hodie aliter uidebitur sentiendum, postquam ipse illustris auctor opus suum non modo iterum recensuit, sed et integris dissertationibus, totque accessionibus locupletauit, ut illud iam duo grandioris statuarie uolumina conficiat, quorum prius uino auctore, c) posterius, eo iam rebus humanis exempto, obstetricante ISAACO VERBVRGIO, in lucem prodiit. d) Quae enim, quaeſo, pars est eruditionis, in qua ille mirificam ueterum numismatum utilitatem non perspicue ostenderit? Habent sane hic grammatici, unde antiquas litterarum formas, earumque affectiones, atque orthographiam; habent philosophi, unde quaedam ad moralem ciuilemque doctrinam, nec non ad historiam naturalem animalium, arborum, plantarum pertinen-

B tia;

c) Lond. 1556, fol.

d) Amstelod. 1557, fol.



tia; habent historici, unde res Macedo-  
num, Seleucidarum, Parthorum, Arme-  
niorum, Cappadocum, Ponti et Bospori  
regum, Thracum, Pergamenorum, Bi-  
thynorum, Carum, Siculorum, Gotho-  
rum, Vandalorum, Gallorum, Britanno-  
rum, nec non urbium coloniarumque et  
metropoleon origines, dignitatem, prae-  
rogatiwas, *αὐτονομίαν*, Romanorum, por-  
to gentes, familias, nomina, cognomina,  
magistratus et dignitates, opera publi-  
ca, resque domi militiaeque gestas, deni-  
que Augustorum Augustarumque seriem,  
agnatos, propinquos, affines, titulos,  
insignia, actaque pacis et belli uel discant,  
uel, quae obscurius de his omnibus me-  
moriae prodiderunt ueteres annales, miri-  
fice illustrent, nihil ut sit prope modum,  
quod discere uelis, quod non luculenter  
doceat, et ex rarissimis numis probet il-  
lustris SPANHEMIUS. Enimuero tantum  
abest, ut omnem hunc doctrinae oceanum  
exhauserit uir inexhaustae doctrinae, ut  
supersint omnino, et post tot alias erudi-  
tissimorum uirorum scriptiones superfutu-  
ra



ra sunt, quae inuentis addi possint, quamplurima. Idque res ipsa docuit, ab eo tempore, quo primum in illo opere elaborauit laudatissimus SPANHEMIUS. Quam multa enim ab eo omisa sint, quae ad usum numismatum in re chronologica pertinent, egregiis speciminiibus, quamuis non eadem omnes felicitate, ostenderunt HENR. NORISIUS in epochis Syro Macedonum, e) et epistola consulari, f) 10. HARDVINVS in chronologia ex numis antiquis restituta, g) PHILIPPVS A TVRRE in opusculo de annis imperii M. Aurelii Antonini Elagabali, h) VIRGIN. VALSECCHI in dissertationibus de M. Aurelii Antonini Elagabali tribunitia potestate, i) et

B 2

de

e) Flor. 1010CLXXXVIII, fol.

f) Bon. 1010CCLXXXIII, 4, et apud GRAEV. thesaur. antiq. Rom. XI.

g) Oper. p. 328, 419.

h) Patau. 1010CCXIII, 4.

i) Flor. 1010CCXI, 4.



de initio imperii Seueri Alexandri ;  
 k) IOANNES VIGNOLIVS de anno primo imperii Seueri Alexandri , quem praefert cathedra marmorea S. Hippolyti. l) Ut iam non dicamus de IO. PETRI RIGORDI, ANT. PAGI , EM. SCHELSTRATENI , aliorumque operibus , nostraque , quam olim edidimus , dissertatione , quibus ipsa CHRISTI nativitatis aera ex numis illustratur. Quum deinde EZ. SPANHEMIUS non adeo multa *de usu numismatum geographicō* monuisset , fuere , qui non modo generatim de uetustis urbium numismatibus agerent , veluti IO. HARDVINVS tum in numis antiquorum populorum et urbium illustratis , m) tuni in antirrheto de numis antiquis coloniarum et municipiorum n) et IO. FOY VAILLANTIVS in numismatibns coloniarum iuris Latii , o) uerum etiam certae aliqui*cuius*

k) Flor. 1500CCXV, 4.

l) Brix. 1500CCXI, 4.

m) Oper. p. I.

n) Paris. 150CLXXXVIII, 4.

o) Paris. 150CLXXXVIII, uoll. II.

cuius prouinciae urbes ex numis describebrent. Sic euim prodiit eiusdem VAILLANTII Aegyptus numismatica, p) cui iungi possent, qui Apameae, Athenis, urbis Britanicis, Cabillono, Chio, Corcyrae, Crcta, Ilio, insulis archipelagi, Lacedaemoni, Lugduno, Nemauso, Melitae, Neapoli, Ostiae, Palaestinae, Raetiae, Siciliae, Tyro, aliisque urbibus et prouinciis eandem operam nauarunt, nisi perlongum eorum scriptorum recentissum iam dedisset IO. ALB. FABRICIVS. q) Similiter quum *numos*, qui *historiam litterariam* illustrarent, eorumqua usum ex instituto non exposuisset illustris SPANHEMIVS: eum quoque defectum supplere quodammodo conati sunt viri doctissimi, quorum alii permultas nrorum illustrium ac doctrina celebrium imagines ex numis

B 3

gem-

p) Subiuncta eiusdem *historiae Ptolemaeorum*. Amst. 1610CCCI, fol.

q) Indice II, subiuncto ANSELMI BANDVRII *bibliothecae numariae*, pag. 240, sequ.



geminisq[ue] exp[re]sserunt, ueluti LAVR.  
 BEGERVS in thesauro tum Palatino, r)  
 tum Brandenburgico, s) IAC. GRONOVIVS  
 in thesauro Graece antiquitatis, t) IAC.  
 SPON. in miscellaneis eruditae antiquitatis:  
 u) alii quorundam tantum memoriam et  
 res ex numis illustrarunt, ueluti Homeri  
 GISB, CVPERVS x) et IO. CAR. SCHOTTVS  
 in apotheosi Homeri, y) Biantis CHR.  
 GOTTL. IOECHERV[us], z) Aristotelis CORN.  
 DIETR. KOCH de Aristotele in numo: a)  
 ut iam non dicam de medicorum histo-  
 ria ex numis illustrata, quam minatus est  
 vir

r) Heidelbergae, 1585, fol.

s) Berol. 1586, fol. uoll. III.

t) Lugd. Bat. 1587, sequ.  
 fol.

u) Sect. IIII.

x) Amst. 1588, 4.

y) Anno 1594, 4.

z) Lips. 1595, 4.

a) Helmstad. 1599, 4.

uir elegantis doctrinae, MICH. FRIDER.  
LOCHNERVS, medicus Norimbergensium ce-  
leberrimus. \*) Quis crederet, in illa  
quoque ethicae semeioticae parte, quam  
Φυσιογνωμονικὴν vocant, utilitatem ali-  
quam afferre posse vetera numismata?  
Et tamen hic quoque ingenii uires peri-  
clitatus est laudatus paullo ante SPONIVS,  
qui libro eximio, quem lingua patria  
*recherches curieuses d' antiquité inscrisit,*  
inferuit dissertationem b) de arte multi-  
plicem hominum naturam atque indolem  
ex uultuum in numis expressorum in-  
spectione cognoscendi, quamuis, ludi-  
cruin id argumentum esse, censeat ANS  
ELHVS BANDVRIVS. c) Denique quum  
*interpretationis scripturarum diuinarum*  
*et historiae sacrae atque ecclesiasticae ra-*  
*tionein in splendidissimo opere nou habue-*  
*rit illustris SPANHEMIUS, nec usum, quem*

B 4

in

\*) [Jam obiit, 1010CCXX, Octobrib.  
Idibus.]

b) *Dissert. XXIII.*

c) *Biblioth. numer. p. 103.*



in illis praestent vetera numismata, ostendit: in hanc quoque philologiae sacrae et historiae partem insignem ex numis utilitatem redundare posse, ex instituto demonstrarunt AEGIDIUS LA CARRI in oratione, historiae Romanae, a se adorna-  
tae, d) subiuncta, qua antiquorum nu-  
mismatum intelligentiam interpreti scri-  
pturae sacrae necessariam esse, contendit,  
et nenerandus ecclesiae nostratis theolo-  
gus, VAL. ERN. LOESCHERVS, tribus disser-  
tationibus partim Ienae, partim Vitem-  
bergae, editis, de numorum in theolo-  
gia, explicatione s. scripturae, et ecclesia-  
stica antiquitate usu: e) ut iam nihil di-  
camus.

d) Clarmont. 15CLXXI, 4.

e) Prima, Ien. 15CLXXXXIII, et alte-  
ra ac tertia, Vitemb. 15CLXXXXV,  
4: in eiusd. Stromont. tom. I, seq. I,  
pag. 153, sequ. typis sunt reuocatae. Vi-  
tembergae apud Saxones, 15CCXXIII,  
4.

[GEORG. GVOLF. VEDELIVS de  
numis N. T. uide eiusd. exercitatt.  
medi-



camus de BARONIO, ANT. PAGI, TILLEMON  
TIO, aliisque historiae ecclesiasticae scri-  
ptoribus, qui saepenumero et uetera nu-  
mismata in consilium adhibuerunt, quam-  
uis purpuratus iste annalium ecclesiastico-  
rum pater ludibrii aliquando debeat  
eruditis, dum modo Apostolos, modo pa-  
nem eucharisticum, modo alia mysteria  
in uinis uidere sibi uisus est, taliaque  
tanta cum fiducia asseuerauerit, ac si illa  
non ficta, sed ipsis solis radiis perscripta  
in aere reperisset.

B 5

Quan-

*medico - philolog. cet. cent. II, dec. I,  
exercit. VII, pag. 62, sqq. Quam exer-  
citationem sanctiss. ac desideratissimus  
meus frater, D. GEORG. GOEZIVS, ar-  
tem salutarem in patria non infeliciter  
per duodeuiginti annos exercens, typis  
repetendam curauit fasciculo primo ua-  
riar. celeberr. medicor. obseruation. qui-  
bus multi N. T. loci docte illustrantur,  
n. II, pag. 21 - 46. Altorphii, 100  
CCXXXX, 8.1*



Quandoquidem itaque tam late patet ueterum numismatum usus, \*) ut nulla paene sit pars eruditionis, quae non inde uel lucis, uel ornamenti aliquid capiat: quis dubitare, quaeso, ausit, quin et iurisprudentiae illa ueterum humorum contemplatio haut parum utilitatis sit allatura, si quis, data opera, id agere, eoque confilio lustrare uellet tot antiquitatis reliquias? Iuuabit ergo periculum facere, si forte alios, quibus plus otii, et maior apparatus est, eo exemplo excitare possum ad operam hanc pulcherrimam suscipiendam.

Primum in ipso ueluti atrio iurisprudentiae nostrae silitur nobis illa constans ac perpetua suum cuique tribuendi uoluntas, quam IUSTITIAM uocamus, ad quam, tanquam ad finem, uniuersa ars æqui et boni ita comparata est, ut ideo scribere  
non

\*) [Vid. *Rei Romanorum numariae compendium*. Dresdae et Lipsiae, 1700 CCLIII, plagg. octonis.]



non dubitet **VLPIANVS**, f) merito iustitiae sacerdotes appellari iureconsultos, quum colant iustitiam, et boni et aequi notitiam profiteantur, aequum ab iniquo separantes, licitum ab illicito discernentes, bonos non solum metu poenarum, uerum etiam praeiorum exhortatione efficere cupientes: ueram philosophiam, non simulatam affectantes. Iustitiam uero hanc saepe exhibent numi Graeci et Romani, sub Tiberio, Vespasiano, Nerua, Hadriano, Alexandro Seuero, aliisque eus, et quidem tanquam feminam sive stantem, sive sedentem, sinistra cornu Amaltheae, dextra libram tenentem, cum epigraphe: ΔΙΚΑΙΟΣΥΝΗ ΣΕΒ. uel IUSTITIA AVG. uel AEQUITAS AVG. Sedentem uidebis in numo Corneliae Saloniuae apud BEGERVM: g) stantem in numis Heluii Pertinacis, Gallieni, Taciti, Probi, Carinorum apud eundem.

f) l. I, §. I, D. de iust. et iur.

g) Thesauer. Brandenb. tomo III, p. 160.



dem. b) In omnibus uero eadem insignia deprehendes , libram et cornu Amaltheae , eundem habitum , elegantem , ac uirgine dignum , eandem denique stolam , eiusque laciniam in sinistrum brachium decore collectam , ut uere tibi uidere uidearis *ωρθένος Δικην* , seu *iustitiam uirginem* ,

*Κυδνήν τ' αἰδοίην τε θεοῖς , ὅτι ὄλουματον  
ἔχουσιν.*

*Claram , uenerandamque Diis , qui  
Olympum habitant.*

ceu eam describit HESIODVS. i) Qua uero definitione , siue a iureconsulto , siue a philosopho , ad amissim facta , eleganterius exprimi posset iustitiae aequitatisque natura atque indoles , quam hoc scheme? Iustitia suum cuique tribuit ; idque

b) *Tom. III, p, 685, 744, 763, 768,  
773.*

i) *Op. et dier. z. 255.*



que libra nos monet. Quemadmodum  
enim illa omnem excesum ac defectum  
et prodit et corrigit: ita iustitia, ut ait  
ORPHEVS, k)

Ἄιεὶ μὲν τὸ ἀλέον συγέει, ἵστητι τε  
χαιρεῖ.

Semper, quod nimium est odit, et  
aequalitate gaudet.

Nec mirum est, iustitiam nobis tanquam  
stolatam et septae pudicitiae uirginem sisti,  
quuin abhorreat ab omnibus foribus,  
quippe incorrupta, et castissima, et ut  
iterum ORPHEI l) uerbis utamur,

Ταῖς καθαραῖς γνώμαις αἰεὶ τα δεοντα  
βραμένων.

Castis sententiis iura semper admini-  
strans.

Quo

k) Hymn. in Iustit.

l) Ibid.



Quo perrinet et SVIDAE locus, m) ubi  
de hoc ipso iustitiae scheme agens :  
Ησίοδος δὲ, inquit, ἀντὴν λέγει παὶ ταρ-  
θέον, καὶ ἀδιάφθορον, ὅτι μὴ χρὴ δελουν  
τὸ δίκαιον, μήτε ἄλλως τειθέντα, μήτε  
λέχει παρατραπέντα. Hesiodus, eam uir-  
ginem esse, dicit, innuens scilicet, non  
eopportere nos iustitiam adulterare, nec  
aliis rationibus adductos, nec amore cor-  
ruptos. Denique et effectum iustitiae ele-  
ganter ostendit illud Amaltheae cornu,  
quod in numis illis reperimus, quem  
idem SVIDAS n) ita describit : Τοῖς γα-  
μήν εκείνην σέβουσι τὴν τε γῆν τὰ οἰνεῖα  
βρέυειν φησὶν ἀγαθὰ, καὶ τὴν θάλατταν  
χορηγεῖν ὅσα τίκτει καὶ τρέφει μαλ-  
αφθόνως. Illis, qui eam colunt, terra  
fructus largiter producere, et mare  
abunde suppeditare ait omnia, quae  
parit et alit. Nimirum ob iustitiam  
ciuitates, a paruis et humilibus profectae  
prin-

m) Voce δίκης. tom. I, p. 588, edit.  
KVST.

n) Ibidem. pag. 588.

principiis, breui tempore excelsissime flor-  
ent, nec quidquam iis, quod ad felicitate  
ciuilem pertinet, deesse potest. Non  
turbae tunc illas concutiunt, non classica  
audiantur, et nec agros depopulatur ho-  
stilis manus, nec partas opes fures ac  
raptore*s* intercipiunt, sed ciues abundant  
omnibus copiis, et in summa opum at-  
que bonorum affluentia uiuunt, uereque  
iis euenit, quod suauissime cecinit HORA  
TTVS: o)

*Tutus bos etenim rura perambulat:  
nutrit rura Ceres, alماque Fau-  
stitas;  
pacatum uolitant per mare nauitae:  
culpari metuit fides.*

Deinde et IURISPRUDENTIAE definitio-  
ni non minus lucis accedere uidetur ex  
ueterum numis, qui Themidem Deam  
praeferunt, quamuis ii sunt et dubiae  
ter.

o) Carm libr. IIII, od. v, n. 17, 18,  
19, 20.



terpretationis, et paullo rariores. Vnum eius generis acceptum ferimus v. c. CHRIST. SIGISM. LIEBE, p) qui inter numos populorum et urbium edidit aeneum Phocenium, cuius in aduersa parte est caput feminino cultu, laurea cinctam, uultu admodum decoro, cum litteris: ΦΩΚΕΩΝ, in auersa caput tauri, uitis ornatum, supra quod litterae ΕΛ. Posset caput illud femininum videri Apollinis, quem muliebri habitu efformasse ueteres, ostenderunt quum alii, tum nouissime IO. CAR. SCHOTTVS, q) idque satis patet exemplo Apollinis Actiaci uel Palatini, quem muliebri habitu fistunt numi argentei Commodi apud VAILLANTIVM r) cum inscriptione: APOLLINI PALATINO. Sed ipse LIEBIVS eos non putat aberraturos a uero, qui Themidem in eodem capite agno-

p) Goth. numar. cap. v, § 42, p. 207.

q) Apotb. Homeri p. 59.

r) Numism. Rom. imper. praefant. tom. II, p. 199, et tom. I, p. 211.



agnoscant, quia Apollinem una cum Themide oraculum Delphicum condidisse, ex EPHORO memoriae prodiderit STRABO.  
s) Paullo certioris interpretationis esse uidetur gentis Flaviae denarius, exhibitus a FVLVIO VRSINO, t) quippe in quo non modo caput muliebre, satis in cultum cum passis crinibus, et apposita cithara uisitatur, uerum etiam ipsum Themidis nomen additum est. Supra enim adscriptum est: C. FLAV. LEG. PROPR. infra: HEMIS. In auersa parte uictoria conspicitur, trophyum coronans, cum lemmate: IMP. BRVT. infra Q. CAEP. Pertinere hunc denarium ad C. Flanum, Caesari inimicissimum, at Bruto, Caesaris percusori tanto amiciorem, u) eiusque aliquando praefectum fābrum,

s) *Libr. VIII, p. 422.*

t) *De num. famil. Rom. p. 113, edit. PATINI.*

u) *APPIAN. de bello ciu. libr. II, p. 700.*



bruin, x) inter omnes constat, non  
aeque, quid sibi uelit illud HEMIS, quod  
infra caput legitur. Nam VRSINVS, uir  
in rebus alioquin perspicacissimus, illud  
accipit pro cognomine, nobisque singit  
C. FLAIVM HEMIM, quum uel hoc i-  
psum, uel flexum inde cognomen nus-  
quam inter tot Romanorum cognomi-  
na occurrat, nisi eo referre uelis il-  
lud HEMULLI, quod est apud GRVTE  
RVM in marmore. y) Fimbriarum cer-  
te et Pusionum cognomina fuisse Fla-  
uiorum, qui libera re publica in ce-  
lebritate fuerunt, nemo ignorat; at  
Hemides illos esse cognominatos, nul-  
lo idoneo testimonio constat. Hinc acu-  
tum hic uidit uir reconditae eruditionis.  
IAC. PERIZONIVS, z) non esse hoc cogno-  
men

x) PLVTARCH. *in Bruto*, p. 1008.

y) *Inscript.* p. 15CCCLXXXI. 10.

z) *Trig. dissert.* p. 248, sequ.

editionis, quam praemissa praefatione

edi-



men C. Flauii, sed ipsius feminae, cuius caput expressum sit in denario, restitutaque littera detrita, illud legi oportere THEMIS, cui deinde et citharam, et passam atque horridam comam conuenire, operose docet. Et uidentur sane Flauii ideo in numis ac denariis suis consecrasse Themidem, quod praecipuum gentis suae auctorem uenerarentur C. FLAVIVM, qui humili fortuna ortus, eeterum callidus uir et facundus, ciuile ius, repositum in penetralibus pontificum euulgauerat, a) adeoque Themidos ope et ipse ad aedilitatem adspirauerat, et posteris uiam muninerat ad splendidiorem fortunam. Iam uero quod symbolum iurisprudentiae reperiri potuisset luculentius, quam ista Themidis effigies? Comae incomitae, quas in numo conspicis, fatidicam ostendunt

C 2

dunt

edidit I. G. HEINECCIVS, Halae, Magd.  
∞ 1522, 4; prima enim prodiit,  
Dauentriae, ∞ 1588, 8.]

a) LIV. libr. viii, cap. 46.



dunt mulierem ; Deoque , uti ueteres  
loquebantur , plenam , ac proinde re-  
rum diuinarum scientissimam . Talem  
**VIRGILIUS b)** fingit Sibyllam .

*Cui talia fanti  
ante fores , subito non uultus ,  
non color unus  
non COMTAE mansere COMAE : sed  
peclius anhelum ,  
et rabie fera corda tument .*

Talem SENECA c) Casandram siflit ,  
cui

*Pallor genas ,  
creberque totum possidet corpus  
tremor ,  
sletere uitae , mollis HORRESCIT  
COMA ,  
anhela corda murmure inclusō fre-  
munt .*

Ta-

b) *Libr. VI, Aen. u. 46.*

c) *Agamenn. u. 710, sequ.*



Talem denique idem d) describit Pythiam, quae

*Incipit — — spargere HORRENTES  
COMAS,  
et pati commota Phoebum.*

Dicitur enim Themis prima oracula fuisse, resque diuinis et sacrificia docuisse mortales. Atque inde est, quod qui oracula edunt dicuntur Θεμιστευειν, ceu obseruarunt DIODORVS SICVLVS e) et SVI DAS. f) Additur autem in nuno cithara, quia eadem Themis et ob facundiam rerumque humanarum notitiam celebratur, et proinde θουλαια uocatur a PLVTARCHO, g) quia, ut DIODORVS refert, prima hominibus, quae ad iuris

C 3

aequi-

d) *Oedip.* u. 230.

e) *Libr.* v, p. 232.

f) *Voce Θεμιστευειν.*

g) *Polit. praecept.* p. 802.



aequitatem et pacis studia pertinent,  
tradidit, et, si HOMERO b) credimus,

H̄τ' ἀνδρῶν αὐγορᾶς η̄ λύει ηδὲ πα-  
θίζει.

*Hominum concilia uel dimittit,  
uel cogit.*

En, ueram imaginem iurisprudentiae,  
diuinarum humanarumque rerum noti-  
tiae, iusti iniustique scientiae, quam  
sane definitione non magis perspicue ipsi  
iureconsulti, quam hac Themidis effigie  
gens Flavia expressisse uidentur. Huius  
quoque est θεμισένειν, id est, de iis,  
quae circa res diuinas humanasque iusta  
sunt, respondere. Hanc quoque iure  
Βουλαιάν, id est, consultricem dixeris.  
Est enim ex CICERONIS i) sententia, sine  
dubio domus iureconsulti totius oracu-  
lum

b) *Odyss. β, n. 69.*

i) *De orat. libr. I, cap. 45.*

lum ciuitatis, unde sibi omnes consilium  
expetunt,

*Suarum rerum incerti, quos is sua  
ope ex  
incertis certos, compotesque consilii  
dimitit, ut ne res temere tractent  
turbidas.*

Enimuero ne id quidem praetermittendum  
uidetur, quod, quae in gentis Flaviae nu-  
mo torua facie passisque comis conspic-  
tur, Themis, eadem in altero Gothano  
virginis uenustae eleganter contae, lau-  
reaque cinctae, schema induit. Est enim  
haec iurisprudentiae indoles, benignae  
bonis, malis inexorabilis, et, ut ele-  
ganter ait VPIANVS, k) bonos non solum  
metu poenarum, uerum etiam praemior-  
um exhortatione afficere cupientis.  
Quemadmodum porro VPIANVS noster l)

C 4                          duas

k) L. I, § 1, D. de iust. et iur.

l) L. I, § 2, D. de iust. et iur.



*duas huius studii positiones esse, obser-*  
*uat, PVEPLICVM et PRIVATVM: ita et nu-*  
*mos utrumque ius accurate secernere*  
*animaduertimus. Protulit sane CONSTANT.*  
*LANDVS m) numum Gordiani, in quo*  
*tres cernuntur mulieres mitratae et stola-*  
*tae, dextra libram, sinistra cornu copiae*  
*tenentes, cum perigraphe: AEQVITATI*  
*PVEBLICAE. Vbi tres illae mulieres procul*  
*dubio tres praecipuas iuris publici partes,*  
*PONTIFICIVM, FAFTIALE et SENATO*  
*RVM, significant. Paullo post uero dum*  
*numum illum interpretatur, addit uir*  
*doctissimus: n) PRIVATAM AEQVITATEM*  
*sic effectam uidi. Erat mitrata palliata-*  
*que, stans, libram dextra tenens, ha-*  
*stam laeuā. Id quoque symbolum rei sa-*  
*ne conuenientissimum est. Erat enim*  
*hasta signum iudiciorum priuatorum, un-*  
*de hastae praefuisse decemuiros, litibus*  
*iudi-*

*m) Numism. select. pag. 137.*

*n) Ibid. pag. 141.*



*iudicandis, testatur POMPONIVS. o)* Hinc  
LVCANVS : p)

*Seu trepidos ad iura decem uocat  
HASTA uirorum.*

Et PAPINIVS STATIVS : q)

*Cessat centeni moderatrix iudicis  
HASTA.*

Ex quibus sane intelligitur, ne partitionem quidem illam iurisprudentiae omisisse ueteres numorum conditores, sed publicum priuatumque ius elegantissimis symbolis expresuisse. Iam si in titulo *de origine iuris omniumque magistratum, et successione prudentum haere-re uellemus*, quantum lucis illi affundere liceret ex uetus suis numismatibus? Inde sane mirifice illustratur, quidquid de

C 5 ma-

o) L. 2, § 29, D. de orig. iur.

p) Panegyr. in Calpurn. Pison.

q) Libr. IIII, filii. IIII, n. 43.



magistratum origine scripsit POHONIUS.  
Sic quod ille narrat de *constitutis consulibus*, penes quos summum ius esset, pp.) perspicue confirmant gentis Iuniae denarii, quorum aduersa pars praefert caput femininum cum litteris LIBERTAS, postica quatuor figuris togatas, quarum duae fasces et secures ferunt, cum epigraphe: BRVTVS: qq.) tum numes aureus Cosanorum, qui antica parte aquilam cum ferto et fulmine, postica consulem inter duos lictores ραβδοφόρους exhibet, cum litteris, ΚΟΣΩΝ. r.) Prior a Bruto percusore Caelaris, cusus populo in memoriam reuocat initium libertatis, consulumque in locum exacti Tarquinii surrogatorum, et quidem penes quos summum ius esset. Id enim indicant fasces, summa potestatis insignia, quibus, sibi consules par esse cum regibus imperium, ostende-

pp.) L. 2, § 16, D. de orig. iur.

qq.) VRSIN. in num. famil. pag. 139.

r.) PATIN. ibid. pag. 140.



debant, ceu obseruat LIVIVS, s) qui repentinam illam rei publicae Romanae conversionem describens: *Libertatis*, inquit, originem inde magis, quia annum imperium consulare factum est, quam quod deminutum quidquam sit ex regia potestate, numeres. Omnia iura, omnia INSIGNIA primi consules tenuere. Id modo cautum est, ne, si ambo fasces haberent, duplicatus terror uideretur. Quare et in ipso nummo consulem alterum solum, alterum lictoribus stipatum, procedere, animaduertimus, aequo in re facile assentimur LAVR. BEGERO. t) Ex posteriore nummo simul originem fascium discimus. Nam Cosani Etruriae populus sunt, unde fasces et pleraque alia magistratum insignia sumta esse, memoriae prodiderunt SALLVSTIUS u), DIONYS. HALI CAR.

s) *Libr. II, cap. I.*

t) *Ad FLOR. libr. I, cap. 9, p. 85.*

u) *Catilin. cap. LI.*



CARNASSENSIS *x*), STRABO *y*), SILIVS ITA  
LICVS *z*), et ELORVS *a*). Addi possent  
numi Aemiliorum, Calpurniorum, Cor-  
neliorum, in quibus modo sella curulis  
cum binis utrimque fascibus et securi-  
bus, modo consul togatus inter fasces  
consulares, immo et coronatos aliquan-  
do, conspicitur. Sed otium nobis hic  
fecit illustris SPANHEMIVS, *b*) qui hos  
numos tam praecclare exposuit, ut, si  
uerbum adderem, Iliada post HOMERVM  
scribere uelle uiderer.

De consulibus porro obseruat POM-  
TONIVS *c*), ne illi per omnia regiam  
potestatem sibi vindicarent, lege lata  
fa-

*x*) Libr. III, cap. 84.

*y*) Libr. v, p. 220.

*z*) Lib. VIII, u. 486.

*a*) Libr. I, cap. 5.

*b*) De usu et praeft. num. diss. x, pag.  
87, seq. tom. II.

*c*) L. 2, § 16, D. de orig. iur.

factum esse, ut ab iis prouocatio esset, neque possent in caput ciuis Romani animaduertere iniusu populi, solum relatum esse iis, ut coercere possent, et in uincula publica duci iubere. Vulgo equidem iam a regibus prouocatum esse ad populum, ex notissimo Horatii Tergermini iudicio colligunt, eiusque sententiae magnos habent auctores CICERONEM apud SENECAM, d) FABIVM apud LIVIVM, e) et VALERIVM MAXIMVM. f) At ex ipsa Tulli Hostilii historia intelligimus, non prouocasse Horatium a rege, sed a duumviris quaesitoribus, quos rex, ne ipse tam tristis ingratique ad uulgaris iudicij, aut secundum iudicium supplicii auctor esset, creauerat, addita horrendi carminis legge: duumviri perduellionem iudicent. Si a DVVMVIRIS PRVOCARIT, prouocatione certato, uti rem refert LIVIVS g). De pro-

d) Epist. CVIII.

e) Lib. VIII, cap. 33.

f) Libr. VIII, cap. I, exempl. I.

g) Libr. I, cap. 26.



pronocatione ergo multo post, libera demum re publica, latae sunt leges, quibus et ius animaduertendi in caput ciuis Romani ademtum est consulibus, et ipsa coercitio tam arctis circumscripta limitibus, ut ne in terga quidem sceleratorum ciuium saetire illis permitteretur. Pertinent sane eo leges, latae a p. Valerio Poplicolo apud LIVIVM *b*), PLVTARCHVM *i*), DIONYSIVM *k*) ac deinde aliquoties relatae, ueluti a L. Valerio Poplicola anno V. C. CCCIII, *l*) a M. Valeric Coruo, anno V. C. CCCCLII, *m*) ac demum, semper in contrarium nitentibus, a M. Porcio Laeca, tribuno plebis, *n*) Et huins quidem legis Porciae insigne monumentum exstat natus gentis Porciae aenus, cuius in

*b) Libr. II, cap. 8.*

*i) Poplic. p. 102.*

*k) Libr. v, p. 292.*

*l) LIV. libr. III, cap. 55.*

*m) Idem libr. x, cap. 9.*

*n) Idem, ibid.*

in aduersa parte est caput galeatum Romae,  
cum epigrapha: P. LAECA ROMA: in auer-  
sa ciui Romani stanti et prouocanti stans  
itidem magistratus manum imponit, stan-  
te a tergo lictore cum uirga, infra autem  
REVOCO. o) Habes ergo hic lictorem  
uirgis in corpus ciuis Romani laeuire pa-  
tum, habes magistratum, ad quem damna-  
tus manibus porrectis prouocat, manum  
capiti imponentem, eumque ueluti in li-  
bertatem asserentem, nt uere idem hoc  
numo elegantissimo exprimatur, quog de  
lege Porcia scripsit LIVVS p), eam solum  
pro tergo ciuium latam, graui poena, si  
quis uerberasset necassetue ciuem Roma-  
num, sanxisse, immo et, quod a ROMPO-  
NIO nostro obseruatum est, lege lata fa-  
ctum esse, ut a consulibus esset prouoca-  
tio, neue possent in caput ciuis Roma-  
ni animaduertere iuius suu populi.

Quas

o) VKSIN. num. famil. p. 228.

p) Libr. x, cap. 9.



Quae idem POMPONIVS *q)* de origine  
censorum, eorumque officio tradit, ea  
non aliunde accuratius, quam ex gentium  
Romanarum numis possunt illustrari, id-  
que iam cum cura fecit EZ. SPANHEMIVS *r).*  
Quum enim censorum esset censum agere,  
lustrum condere, equites lustrare, eosque,  
qui parum frugi essent exempli caussa no-  
tare, ea fere omnia in numis exprimi  
animaduertimus. In numo enim gentis  
Lieiniaae figura quaedam hostata equum  
adducit, cui adscriptum P. CRASSVS M. F.  
*s)* in alio gentis Tulliae, quem in lucem  
protraxit VAILLANTIVS, *t)* similis fere  
figura est, cum lemmate: M. TULLIVS M.  
F. eoque numo memoriam gentis suae  
auctoris, Seruii Tullii, regis, renouare  
uoluisse uidetur Tullius, quem primum  
popu-

*q) L. 2, § 17, D. de orig. iur.*

*r) De usu et praest, num. diss. X, p. 199,*  
*sequ. tom. II.*

*s) VRSIN. num. famil. p. 149.*

*t) Apud SPANH. ibid. p. 101.*

populum Romanum in censum retulisse,  
et digestisse in classes et centurias, cen-  
sumque et lustrum instituisse, nemo igno-  
rat. Exstat etiam Claudi*i* imp. numus,  
in quo imperator insidet sellae curuli;  
alius uero equum adducit, addito infra  
lemmate: CENSOR. *u*) Quae quidem  
numismata omnia lucem simul affundunt  
loco VLPIANI, *x*) ubi mentionem facit  
eorum, quā equo publico *in causa publi-*  
*ca transuehuntur*, de qua transvectione  
equitum solenni nuper, quidquid dici pot-  
erat, singulari dissertatione accuratisime  
dixit vir eruditissimus, quem honoris  
*causa* nomine, *io.* ERHARDVS KAPPIVS  
*y*). Porro lustrum a censore conditum  
ostendit numus gentis Postumiae apud  
VAILLANTIVM, *z*) in quo censor dextra  
uas

*u*) *Apud eundem SPANH. p. 501.*

*x*) *L. 8, D. de in ius uoc.*

*y*) *De transuelt. equit. Lipsiae, 1613*  
*CCXXXIII, 4.*

*z*) *De famil. Rom. tom. II, p. 312.*

D



uas, sinistra ramum lustralem praefert :  
quamvis ex inscriptione : M. POSTVM.  
ALBIN. L. PORC. CAPIT. II. VIR colligant  
viri docti, denarium illum pertinere ad  
centum in municipio quodam uel colo-  
nia actum, siquidem et in his ac pro-  
uinciis censores fuisse, viri docti iam  
pridem ex CICERONE, a) LIVIO, b) i-  
pfisque uetuslis marmoribus, c) pro-  
barunt.

Eodem modo et, quae de reliquis  
magistratibus disserit POMPONIUS, ex nu-  
mis possemus illustrare, nisi hunc labo-  
rem iam occupasset laudatus SPANHEMIVS,  
qui eadem dissertatione decima de prae-  
toribus, aedilibus curulibus et plebeiis,  
quaestoribus et proquaestoribus, triu-  
mviris et quatuorviris monetilibns, praefectis fabriu-  
m, itemque magistratibus ex-  
tra

- a) *Pro Cluentio cap. 4; Verr. II, cap. 53.*
- b) *Lib. XXVIII, cap. 15, et 37.*
- c) *SPON. Miscellan. p. 169.*



51

tra ordinariis, ueluti dictatoribus, triumviris rei publ. constituendae, proconsulibus, propraetoribus, legatis pro consule et pro praetore, praefectis classi et orae maritimae accurate egit, nihilque eorum, quae ad eorum magistratum officium, potestatem ac iurisdictionem pertinent praetermisit, ut adeo haec dissertatio simul ad titulos omnes pandectarum de officiis magistratum illustrandos in primis facere uideatur.

Quare, his omissis, ad prudentum successionem, quam POMPONIVS noster descripsit, prouehimur, uisuri, an iurisconsultorum etiam in numis exstet memoria. Quamuis enim eos ab obliuione facile uindicent insignia ingenii monumenta, quorum uel rudera in fragmentis, a IVSTINIANO seruatis, hodie admiramus, et uere eorum quisque gloriari posse uideatur cum HORATIO:  
d)

D 2

Exegi

d) Libr. III, carm. od. XXX, u. I; seqq.



*Exegi monumentum aere perennius,  
regalique situ pyramidum altius,  
quod non imber edax, non aquilo  
impotens,  
posit diruere, aut innumerabilis  
annorum series, et fuga temporum:*

iucundum tamen fuerit, et in aere spe-  
ctare ueteris alicuius iurisconsulti faciem,  
maxime quum de doctissimorum illorum  
uirorum uita ac rebus gestis ueluti ex  
compacto fileant scriptores, eaque pars  
historiae litterariae et hodie in tanta lit-  
terarum luce minime omnium exulta ac  
perpolita sit. Et FVLV. quidem VRSINVS  
e) profert gentis Sulpiciae denarium,  
quem ad SER. SVLPICIVM, iureconsultum  
sine exemplo maximum, pertinere arbit-  
ratur. In eius enim aduersa parte ca-  
put uirile cernitur cum epigraphe: L. SER-  
VIVS RVFVS, in auersa duae figurae nu-  
dae, at galeatae tamen, hastas decusfa-  
tim

e) *De num. famil. p. 267.*

◆ ◆ ◆

tim tenentes. Sed dubiam hanc doctissimi viri conjecturam reddit praenomen *Lueii*, non quod eum alii Publum vocare malint, (nam et horum non certior est, quam *FVLV. VRSINI*, diuinatio,) sed quod viri doctissimi plane negent, Sulpicio nostro ullum aliud, quam *Seruii*, praenomen fuisse, quamvis alioquin plerosque ex gente Seruia duobus praenominibus usos esse, facile largiantur.  
 f) Certe nusquam in uetusis monumentis uel *Publii* uel *Lucii* praenomen illi tribuitur, sed *Seruii* tantum, ac proinde, an in denario illo ICti nostri uultum cernamus, non magis certo scimus, quam an aliquis ex eius filiis denariorum hunc in maximi patris honorem signarit quod ut credamus, idem auctor nobis est *FVLV. VRSINVS* g) si forte prior sententia missis arrideat. Ac proinde,

D 3

si

f) EV. OTTO de Ser. *Sulpicio ICto*, cap. I, § IIII, p. 1559, *Thes. Iur. Tom. V.*

g) Ibid. p. 269.



si dicendum quod res est, nullius adhuc iureconsulti ueteris numus, qui quidem indubiae fidei sit, prolatus est ab antiquariis. Solis autem incertis indulgere coniecturis, merito religioni nobis ducimus.

Multa post titulum de origine iuris in pandectis occurunt de legibus, SCIS, principumque constitutionibus, in quibus nos itidem non plane destituant numi ueteres. Saltim enim ad legum illustrandam historiam non mediocrem illi afferunt utilitatem. Non est, quod iam immoremur numis gentis Cassiae, in quibus templum Vestae, et sitella ac tabula cuin litteris A. C. id est ABSOLVO et CONDEMNNO cernitur, quorum tres elegantiissimos dedit FVLV. VRSINVS. b) Vnusquisque enim intelligit, monumentum hoc esse legis tabellariae, latae anno V. C. CICLIII, a L. Casso Longino, tribuno plebis, qua cautum, ut iudices non uiua

b) *De famil. Rom. p. 67.*

uiua uoce dicerent sententiam, sed tabellis, litteris A. C. et N. L. notatis suffragium ferrent praeterquam in crimine perduellionis. i) Id uero monere abs re uisum est, VRSINVM eodem referre nummum alium, cuius in aduersa caput Vestae, uti in reliquis; in auersa figura togata conspicitur, tabellam, cui A inscriptum, immittens urnae, cum litteris: LONGIN. III. v. Sed praeterquam quod urna haec cylindrica et sitellae, quam in reliquis eius numis obseruamus, plane dissimilis est, ne litteram quidem A in tabella illa deprehendit VAILLANTIVS, sed litteram V, eumque aureum uidisse, exemplo eius numi integerrimo, aeri inciso probauit v. C. CHRIS. SIGISM LIEBIVS.  
k) Vnde et quae EZ. SPANHEMIUS l)  
ad illustrandum hunc nummum attulit, cadunt omnia. Potius ergo in ea tabula

D 4

exhi-

i) CICERO de Leg. Libr: III, cap. 16.

k) Goth. num. cap. VI, § xi, p. 224.

l) Tom. II, p. 199.



exhibetur Casius aliquis, qui in comitiis pro tribu sua primum suffragium tulit, tabulamque, littera V signatam iniecit cistae, ut V ilud significet **VTI ROGAS.** Cuius rei memoria uel ideo dignam credere potuerunt Casii, quae aere perenni ad posteritatem conseruaretur, quod fortassis tanta fuit huius uiri auctoritas, ut in eius sententiam reliqui ciues omnes suffragium darent. Quamuis enim occulta essent suffragia, quae per tabellas ferebantur, et hinc, teste **CICERONE**,  
 m) populo gratisima esset tabella, quae frontes aperiebat hominum, mentes tegebat, dabatque eam libertatem, ut, quod uellent facerent, promitterent, quod rogarentur: nullum tamen dubium est, quin uiris callidis et potentibus non defuerit occasio, aliorum uel emendi-  
 candi uel mercandi suffragia, atque ita de ferendis legibus conferendisque hono-  
 ribus omnia suo arbitrio statueudi. Pro-  
 fect illustris **SPANHEMIUS** n) aliud exem-  
 plum

n) *Pro Planc. cap. vi.*

n) *Tom. II, p. 200.*

plum legis, cuius memoria in denario gentis Papiae seruat. In eius enim parte antiqua uisitatur Iunonis Sispitae caput cum tabula, cui inscriptum: PAPI; in postica figura gryphi cum litteris: L. PAPIVS. Pertinet enim hic denarius ad legem Papiam de peregrinis, de quibus alibi diximus. o) Ast paucis his exemplis ab illustri SPANHEMIO recensitatis addi possunt bini alii denarii, alter gentis Coeliae, alter Liciniae. In priore enim, custo a CALDO IIIIVIRO antica fuit caput C. COEL. CALDI COS. et pone illud tabulam cum litteris l. d. p) in posteriore totus ritus ferendi leges tam eleganter et perspicue ob oculos ponitur, ut contemplatione dignissimus esse uideatur. Et numus quidem ille prior pertinet ad legem anno V. C. 10cxxxxvi, latam, a C. Coelio Caldo, qui et iudicio maiestatis,

D. 5. quod

o) Commentar. ad legem Iuliam et Papiam Poppaeam, libr. I, cap. I, p. 12. Amst. 15CCXXVI, 4.

p) *Apud VRSIN. de famil. Rom. p. 79.*



quod Casius exceperat, tabellam dabat,  
et ut Popilium. quem perduellionis reum  
facere decreuerat, eo facilius opprimeret,  
nouam legem tabellariam ferebat, distri-  
buebatque tabulas, quarum alteri L, id  
est, LIBERO; alteri D, id est, DAMNO  
erat inscriptum. q) Posterior uero in  
aduersa parte exhibet caput Romae galea-  
tum, cum litteris ROMA; in auersa duas  
figuras per pontem euntes, quarum una  
tabulam a diribitore accipit, altera iam  
acceptam urnae uel cistae immittit, addi-  
ta epigraphe: P. NERVA. r) Equi-  
dem quis ille sit Nerua, et utrum e  
Silia, an e Licinia gente prodierit, de-  
nique cur hunc leges ferendi ritum in nu-  
mo suo expresserit, nescire me fateor cum  
ignarissimis, neque rem expediuerunt  
VAILLANTIVS s) et EZ. SPANHEMIVS. t)  
Nec

q) CIC. de Leg. libr. III, cap. 16.

r) VRSIN. ibid. p. 151.

s) De famil. tom. II, p. 423.

t) Tom. II, p. 192.

Nec video, quo fretus argumento illuftris SPANHEMIVS comitia potius centuria-ta, quam tributa, in hoc numo uidere sibi uifus sit. Siue enim leges ferrentur, siue crearentur magistratus, utrumque eodem ritu fiebat. Id uero extra o-mnem dubitationis aleam positum est, in hoc numo confici pontem, ouile uel septum, diribitorem, ciftam, et suffragatores. Solebant enim ciues laturi suffragium septis uel cancellis includi, quos ouile uocat LVCANVS u) uerfu no-tissimo :

*Et miserae maculauit OVILIA Romae.  
nec non alibi : x)*

*SEPTORVMQVE nefas, et clausi prae-lia campi.*

Vt uero eo minus dubitare possumus, septa esse, quae in hoc denario exprimun-

u) Pbars. libr. II, n. 197.

x) Libro VII, n. 306.



muntur, non modo clathra ita sculpta sunt, at in oculos incurant, quem etiam superius uisitnr ouicula, uel aliud quodcumque animal domesticum, quamvis hoc in ectypo apud VRSINVM omnino desit. In hoc septo singuli a diribitore accipiebant tabellas, quarum alterutram deinde eunt per pontes, id est, per tabulata angustiora, subitario opere constructa, cistae immittebant. Hinc direm̄tis suffragiis diuumeratisque tabellis, facile apparebat, in utram partem populus esset proclivior. Qua de re accuratius egerunt PAVLL. MANTIVS, y) CAR. SIGONIVS, z) aliique, qui antiquitates Romanas ex infiltrato descripsierunt. Et iam demum intelligimus, cur lex fuerit Romanis, quam populus Romanus, rogante senatorio magistratu, ueluti consule, constituerit. a) PLEBIS

CITA

y) *De Legib. p. m. 238, sequ.*z) *De iure ciu. Rom. libr. I, cap. 17.*a) § 4 *Instit. de iur. nat. gen. et ciu.*



CITA porro qua in re discreparint a LEGIBVS, ex ipso iure nostro satis notum est. Ne uero hic nihil nos iuuaro uelle vide-rentur, qui auro, argento, aeri flanto, feriendo praeyerant, ii saltuum loca, ubi et leges ferri et plebiscita rogari consueuerunt, nobis eleganter in uumis delineant. Illis ferendis praecipue destinatum erat coMITIVM, quod una cum septis et aede Ve-neris Cloacinae, et inscriptione: CLOACIN. conspicimus in gentis Mussidiae denariis apud VRSINV. b) Haec quamquam modo in comitio, modo alio loco habeban-tur, praecipue tamen concionibus tri-buniciis, quibus plebs ad nouas leges iubendas incitari solebat, destinata erant ROSTRA, \*) in quibus et alii magistratus

CON-

b) *De famil. Rom. pag. 182.*

\*) [Vide uiri, qui terrarum orbem, qua litteris est cultus, eruditionis suae fama impleuit, CHRISTIANI GOTL. SCHUVAR ZII, praceptoris mei filii pietate aeta-tem a me sancte colendi, disertat. de rofbris



concionari, honores auspicari, in leges  
iurare, et magistratum ponere consueuer-  
rant. Quum uero rostra alia esent *uet-  
era*, alia *noua* uel *Iulia*: illorum figuram  
in numis gentis Lolliae, c) ex qua M.  
Lollius Palikanus supressae a Sulla tribu-  
niciae potestatis restituendae auctor fuerat;  
d) horum in Sulpiciae denariis conspicim-  
mus. e) Et in illis quidem sedile po-  
situm cernimus, ut appareat, quomodo  
e loco sublimi concionati sint tribuni: in  
his duo consules sedent, quasi agentes  
cum populo, et uel legem suadentes,  
uel disserentes de re publica. Id quoque  
singulare est, quod in Palikani numo **LI**  
**BERTATIS** effigies et nocebulum deprehen-  
dimus.

*rostris fori Romani loco concionibus so-  
lenni, respond.* CHRISTOPH. CAROLO  
FABRICIO, Norimbergense. Altorphii,  
∞ 10CCXXXXV, 4o.]

- c) VRSIN. *ibid.*
- d) ASCON. PAEDIAN. *in diuinat.*
- e) VRSIN. *ibid. p. 270.*



dimus. In veteribus enim rostris quam maxime regnabat libertas, adeo ut tribuni plebis ex illo loco saepe in maximos magistratus non modo acerbissima oratione inueherentur, sed et eos, consiliis suis obnitentes, in uincula duci iuberent. Vnde rostra βῆμα τὸ ἐλευθέριον, seu *libertatis tribunal*, uocari a DIONE CAS SIO, f) iam VRSINVS et SPANHEMIUS g) obseruarunt.

Sed haec quidem de legibus et plebiscitis dicta sufficient. De Senatusconsultis enim nihil est, quod ex numis addamus, nisi quod numos etiam ipsos ex SC. cufos esse, ipsi numi indicent, in quibus frequentissime occurrunt litterae SC. At de principum constitutionibus quaedam dicenda supersunt, hic non omnino praetereunda. Ius constitutionibus leges ferendi ius nostrum arcessit a lege regia, qua populus Romanus Imperatori et in Imperatorem omne imperium

f) *Libr. xxxv, p. 286.*

g) *Tom. II. p. 190.*



rium suum et potestatem contulerit. b) Qualis sit illa lex regia, magnopere inter se omni tempore disceptarunt iure-  
 consulti, nec desuerunt, qui secantes nodum, quem soluere non poterant, ipsam legem nullum, nisi in Tribonianii cerebro, praesidium habere existimarent. Sed horum sententiam satis superque profligarunt uiri docti, et maxime IO. FRID.  
 GRONOVIVS, qui inter primos in uiam reduxit iureconsultos errantes, et uix ha-  
 bentes ubi consisterent. Nimirum Sena-  
 tus populusque Romanus primum in Au-  
 gusti, deinde eius successorum, hono-  
 rem, in primis, quoties hi auspicaban-  
 tur imperium, permulta decernebat, quae  
 ad eorum potestatem atque imperium per-  
 tinebant. Ea decreta uel SCa deinde  
 coniunctim legis regiae nomine uenerunt,  
 ut recte dicere possis, legem regiam ni-  
 hil aliud esse quam formulam imperii,  
 potestatisque, imperatoribus paullatim de-  
 latae

b) § 6, Inst. de iur. nat. gent. et ciu-  
 li. I, pr. D. de const. princ.

latae a senatu populoque Romano. Et ad huiusmodi decretum procul dubio pertinet numius Augusti, a MEDIOBARBO i) et CAROLO PATINO k) editus, cuius in parte antica est caput Augusti cum perigrapho: DIVVS AVG. SC. in postica figura consulari habitu, insidens sellae curuli, orbem sinistra, (qui tamen in ectypo PATINI non conspicitur,) dextra ramos oliuae gestans, cum titulo: CONSENSV SENAT. ET EQ ORDIN. P. Q. R. Quum uero orbis, ipsumque hominis schema imperium suminum belli pacisque tempore significet: numi non aliis potest esse sensus, quam imperium summum in Augustum collatum esse *consensu senatus*, et *equestris ordinis*, *populique Romani*, quae ipsa, ut uidimus, est legis regiae definitio. Tales plures sunt numi reliquorum Imperatorum, ubi modo Imperator et Roma coniunctim exhibentur, modo

i) *Numism. Imp. Rom.* p. 44.

k) *Numism. Imp.* p. 40.



modo haec illi sese ueluti deuouere uidetur, ut dubitare non possis, quin eodem pertineant: at iis, promissae breuitatis memores, iam non immoramus. Quare ad iura potius personarum statumque hominum progredimur, secundum quem alios liberos, alios seruiliis conditionis, alios ciues, alios peregrinos, denique alios sui, alios alieni iuris esse, nouimus. Et seruorum quidem tam misera erat conditio, ut eorum uix rationem in numis habuerint Romani. At manumissionis tamen ritum inde quodammodo posse illustrari arbitramur. Exstant sane numi Neruae <sup>1)</sup> aliorumque, in quibus femina, decore uestita dextra pileum; laena baculum, longiorem modo, modo breuiorem tenet, cum perigraphe: LIBERTAS PVBLICA. Iam quidem non ad priuatorum, sed ad ipsius rei publicae, libertatem pertinere haec numerisima-

<sup>1)</sup> CONST. LANDI *num. select.* p. 56;  
LAVR. BEG. in *Flor. libr. 1, cap. 9,*  
*pag. 84.*

mismata, ex ipsa inscriptione satis unusquisque intelligit: at hanc tamen iis symbolis adumbrati obseruamus, quibus priuati utebantur in manumissionibus. Fiebant haec per vindictam, id est, per baculum, quem et *festucam* uocat PLAVTVS *m*)

Quid? ean, ingenua, an FESTVCA  
facta e serua libera est.

nec non PERSIVS: n)

Hic hic, quem quaerimus, hic est  
non ita FESTVCA, lictor quam iactat  
ineptus.

Et talem festucam uel vindictam sinistra  
praeferre libertatem existim⁹, non sce-  
ptrum, tanquam signum imperii, quod  
uidere sibi uisus est LAVR. BEGERVS, o)  
nec hastam, pro qua gestamen illud ha-

E 2 built

m) *Mil. glorios. aet. IIII, sc. I, u. 13.*

n) Sat. v, u. 174.

o) Ad Flor. p. 54.



buit CONST. LANDVS, p) quum posteriora illa ad libertatem non pertineant, nec cum ea quidquam habeant commune, vindicta uero uel festuca symbolum sit, libertati conuenientissimum. Id quod et de pileo, quem dextra tenet libertas, dicendum est. Quum enim, raso in templo Feroniae capite, pileum sumere solerent libertini, ceu patet ex loco PLAVTI: q)

*Vt ego hic hodie RASO CAPITE cal-  
uus capiam PILEVM.*

ubi exquisita sunt, quae notauit TAVBMAN  
nvs: libertati etiam publicae non aliud  
symbolum putabant conuenientius esse,  
quam pilei, adeo ut Brutus aliquae Caesa-  
ris percussores non modo pileum cum  
duobus pugionibus in numis signarint,  
ut, rem publicam a se in libertatem asser-  
tam, ostenderent, r) sed et pileum ha-  
lla

p) Sel. numism. p. 57.

q) Amphitr. act. I. sc. I, n. 306.

r) VRSIN. de famil. Rom. p. 142, 263.

sta per urbem circumtulerint, populumque ad pileum tanquam ad libertatem, vindicarint. Qua de re APPIANVS: s)  
 Οἱ δὲ σφαγεῖς τὰ ἴματεια ταῖς λαιᾶς ὡς περὶ ἀσπίδας περιτλεξάμενοι καὶ τύραννον ἀνελεῖν καὶ τὰ ξίφη μετὰ τῶν ἀμάτος ἔχοντες, ἐβοηδόμουν βασιλέα καὶ τύραννον ἀνελεῖν, καὶ πίλον τὴν ἐπὶ δόρυ-  
 λος ἔφερε, σύμβολον ΕΑΓΤΘΕΡΩΣΕΩΣ.  
 Percussores autem eius togis circum lae-  
 uas manus obvolutis uice clypei, cruen-  
 tos gladios tenentes currentesque uocife-  
 rabantur, regem et tyrannum se occi-  
 disse, praferente quadam in basta pi-  
 leum recuperatae LIBERTATIS INSIGNE.  
 Ceterum et Feroniae Deae, cuius in fa-  
 no caput radere pileumque sumere sole-  
 bant libertini, caput, si uidere gestis,  
 habes in numis gentis Petroniae apud  
 VRSINVM, t) ubi de sacris et cultu eius  
 apud Sabinos plura uir hic doctissimus  
 obseruauit. Quae de iure ciuitatis ex

E 3

nu-

s) *De bello ciuili*, libr. II, p. 503.

t) *Ibid.* p. 205.



numis obseruari poterant, ea omnia in  
praeclaro atque aeterno opere de orbe  
Romano occupauit laudatisimus EZ. SPAN  
HÈMIVS, ubi et insignem istum Antonini  
Pii numnum in cuius auersa parte intra  
coronam lauream legitur: S. P. Q. R.  
**AMPLIATORI CIVIVM** erudite exposuit,  
nec eum ad celebrem LEG. XVII. DIG. DE  
STATV HOMINVM, quo Antonini beneficio  
omnes, qui in orbe Romano sunt, ci-  
ues Romani effecti esse dicuntur, perti-  
nere, ita demonstrauit ut otium aliis fe-  
cisse uideatur. u) Itaque potius ad sta-  
tum familiae prouehimur, ad quem et  
**ADOPTIO** pertinet, et **EMANCIPATIO**  
de qua singularem in Digestis titulum ex-  
stare nouimus. Et adoptionis quidem  
monumentum insigne habemus in namo  
aureo Neruae, quem ex ineditis GOLZII  
fchedis extulit EZ. SPANHEMIVS. x) In  
eo enim Nerua Imp. Traiano paludato  
dex-

u) *Orb. Rom. Exerc.* II, cap. I, 117,  
sequ.

x) *Not. ad Julian. orat.* I.



dextram porrigit, adscripto uocabulo: AD  
OPTIO. Evidem quo ritu priuati et  
arrogarint, et adoptarint, ipsa iurâ nostra  
satis docent. At uix horum quidquam  
post Neroneum obseruarunt principes,  
qui sufficere existimant si consensum  
adoptantis et adoptiui quocunque modo  
exprimerent. Quumque iunctae dextrae  
consensum uel maxime indicent: saepe  
hoc solo ritu utebantur. Sic de Galba  
memoriae proditum est, eum Pisonem  
non ut priuatum lege curiata, et apud  
Pontifices, sed exemplo Augusti ex more  
militari, quo vir virum legit, adoptasse,  
ac proinde apprehensa Pisonis manu eum  
sibi filium esse iussisse. y) Sufficiebant  
nimisimum principibus iunctae manus, non  
modo quod dextra amoris et fidei signum  
esse, ceu suspicatus est vir doctissimus,  
peritisimusque iurisprudentiae symboli-  
cae, ev. OTTO, z) sed et quia con-

E 4

sen-

y) TACIT. Hist. libr. I, cap. xv, seqq.  
SVETON. Galb. cap. xvii.

z) Iurispr. symbol. Exerc. III, cap. II.



sensus in idem placitum signum luculentissimum, et apud omnes peraeque gentes receptum sunt iunctae dextrae: in arrogatione uero nel maxime necessarium uidetur, teste CAIO nostro, *a)* ut et is, qui adoptat, interrogetur, an uelit eum, quem adoptarus sit, iustum sibi filium esse? et is, qui adoptatur, an iam fieri patiatur? Sunt etiam numi, qui effectus adoptionis, quales in iure nostro describuntur, paeclare illustrant. Participes adoptiui siebant iurium agnationis, *b)* imaginum, nobilitatis patriciae, scrorum, *c)* successionis, *d)* et, ut paucis dicamus, aequi iusti erant filii, ac si ex adoptante eiusque matrefamilias essent nati. *e)* Pleraque huius generis ex nimis

*a)* L. 2, pr. D. de adopt. et emanc.

*b)* L. 23, D. eod.

*c)* L. 13, D. eod. PERIZON. Trig. discr. p. 83.

*d)* § 2, Inst. de legit. agn. success.

*e)* GELL. Noct. Attic. libr. v, cap. 19.

mis discimus. Adoptiuus enim et adoptiuua  
se f adoptionis filium filiamque, immo et  
nepotem neptemue eius, quo patre adoptans  
usus fuerat, appellabant. Talis sane est  
Hadriani Imperatoris numns, quem ex il-  
lustris FAVCAVLTI ciimeliis extulit HARDVI  
nys f) in quo Imperatoris capiti adscribi-  
tur: ATT. K. NEP. ΤΙΩ ΤΡΑΙΑΝΟΣ  
ΑΔΡΙΑΝΟΣ, id est, *Imperator, Cae-  
sar, Neruae nepos, (ὑιωνὸς) Traianus,  
Hadrianus.* Adeo uerum est, adoptio-  
nem iura agnationis nomenque adopti-  
uiis tribuisse. Facile enim ius imagi-  
num ad adoptiuos peruenisse, ex numis  
probari potest, quorum unum uel alte-  
rum tantum hic asserre inuitat, puta unum  
Drusii, Tiberii et Agrippinae filii, qui  
quum familiam Iuliam non nisi ex patris  
adoptione attingeret, Venerem tamen,  
unde genti Iuliae origo esse credebatur,  
et quidem Paphiam expressit in numo  
apud CAR. PATINVM: g) et ipsius Augu-  
stī,

E 5

f) *Sect. Opp. p. 758.*g) *Numism. Imp. p. 62.*



lli, qui quamvis ex Octavia gente es-  
set, adoptatus tamen a Caesare ipse  
quoque Aeneam, Anchisen cum penati-  
bus exportanteim, et Iulum pone sequen-  
tem, in numo apud eundem PATINVM  
b) exhibet. In EMANCIPATIONE ueteres,  
cuius ritum accuratius descripsit CAIVS  
iureconsultus apud BOETHIVM, i) non  
postremae erant partes libripendii et an-  
testati, quorum ille aeneam libram te-  
nebat, in quam pater fiduciarius nu-  
mum sestertium proiiceret: hic praesen-  
tes testes, tactis auriculis, rei meminisse  
iubebat: uterque ritus ex ueteribus nu-  
mis quodammodo potest illustrari. So-  
lebant ueteres non numerare numos,  
sed appendere, uti ipsae loquutiones  
Latinae: *expendere numos, expensum  
ferre, compensare, pendere sumtus, k)*  
*appendere dotem, l)* quippe ab antiquo illo  
ritu

b) *Ibid. p. 37.*

i) *Ad Top. Cic. cap. III.*

k) *L. 52, § 15, D. pro soc.*

l) *L. 34, D. de iure dot.*



ritu deductae, satis superque docent. Hinc in aerario asseruabantur pondera publica, quibus Quaestores in appendenda pecunia uterentur, qualia praeter THOM. REINRSIVM m) edidit LAVR. BEGERVS, n) cui et numos debemus, quorum in uno virgo stolata iustitiae et aequitati, qualis in numis cernitur, per omnia similis dextra libram tenet, laeua cornu copiae, cum epigraphe: SACRA. MONET. AVGG. ET CAESS. NOSTR. P. Q. R. in altero tres huiusmodi figurae conspiciuntur cum lemmate: MONETA AVG. S. C. ut inde, quales fuerint ueterum librae, quas libripendes manu tenebant, unusquisque perspicere poscit. Ad Anteflati officium illustrandum uel maxime pertinenter numi, quorum mentionem fecit MURETVS, o) si illos ab ullo eorum, quos consulere licuit,

m) *Inscrip. Clasf. II, n. 56.*

n) *Ad Flor. libr. I, cap. XIII.*

o) *Lib. XII, Var. Lect. cap. V.*



cuit, scriptorum delineatos uidisse. Refert enim, se uidisse nummos, in quibus quis alteri aurem uelleret, adscriptus litteris MNHMONETE. Id tamen uiro tam candido eo facilius credimus, quo magis constat, extare gemmas eiusdem uel non absimilis χαραγματος, quarum mentionem faciunt IAC. PAEVARDVS, p) IVSTVS LIPSIUS q) et CAR. SPONIUS. r) Solebant enim, qui antestabantur, alterius tangere auriculas, in quibus ueteres memoria ueluti sedem ac domicilium tribuerant. PLINIUS: s) *Est in aure imæ memoriae locus, quem tangentes antestamur.* Et HORATIVS: t)

### Casu

- p) *Ad Leg. XII, Tab. cap. v.*
- q) *Lib. IIII, Epist. quæst. cap. 26.*
- r) *Miscellau. erud. antiqu. p. 297.*
- s) *Lib. XI, hist. nat. cap. 45.*
- t) *Serm. libr. I, sat. VIII, n. 74.*



*Casū uenit obuius illi  
aduersarius: et quo tu, turpissime?  
magna  
exclamat uoce: et licet antestari?  
ego uero  
oppono AVRICVLAM.*

Sed et alibi obseruauimus, CLEMENTEM ALEXANDRINVM u) inter ritus testamentarios, (nam et testamenta per aes et librae, seu mancipationem condebantur,) recensere etiam ὥτων ἐπιφαύσεις, uel aurium factio[n]es. Quare hi numi, quos se uidisse refert MVRETVS, non modo ad emancipationem, sed et in ius uocatio[n]em, et testamenti factio[n]em illustrandam pertinerent, si exstarent, quia in his omnibus negotiis antestari solebant, qui praeSENTIBUS denunciabant testimoniū.

Hanc

u) Strom. libr. v, p. 575.



Hanc iurisprudentiae partem, quae de statu hominum agit, sequitur tractatus de rerum diuisionibus, in quo se amplissimus aperit campus, in quo excurrere posset industria nostra, nisi pleraque et iis nota essent, qui alioquin his deliciis non magnopere delectantur. Res esse uel *diuini* uel *humani iuris*, illasque in *sacras*, *religiosas* et *sanctas* diuidi, nemo ignorat. Iam si quis, quales apud Romanos fuerint res sacrae, coram despiceret uelit; ei numismata veterum innumera ostendent templa, aras, deorum dearumque simulacula, instrumenta, quorum in sacris usus erat, ipsaque sacra et sacrificia, et, ut paucis dicamus, quae ad sacra et religionem Quiritium pertinent omnia, muros praeterea et portas, rogos denique et ustinas, quarum iucundum spectaculum est in numis, in memoriam consecrationum Augustorum et Augustarum cufis, apud VAILLANTIVM, SPONIVM, OISELIVM, BIAEVVM DV CHOVL aliasque, ex quibus hanc earum descriptionem texuit IOAN.

BVRCH.

BVRCH. MENCKENIUS : x) Aptissimum  
consecrationis symbolum est ipse rogus,  
*sic*

x) De Augg. Augustarumq. consecratione  
ex numis illustr. diss. § x. Lipsiae,  
1588, 4 : recusa est inter  
eiusdem dissertatt. acad. dec. cum au-  
toris uita a Ioan. Erhard. Kappio  
edit. Lipsiae, 1599, 4, pag.  
1 - 41.

[CHRISTIANI CNORII dissertat.  
de antiquis Romanor. numismatib.  
consecrationem illustrantibus. Lipsiae,  
1560, 4. GRVBELII diss. de  
consecratione principum, et GEOR  
GII PICTORII LL. tres apotheo-  
seos tam exterarum gentium, quam  
Romanorum. Basil. 1588. HAV  
SOTTERVS de consecrationis origine,  
causis et ritibus apud Romanos. Schleu-  
sing. 1598. IOANN.  
DAN. SCHOEPFLINI, eruditus atque  
elegantis ingenii viri, tractat. historic  
d:



sic dictus , quod in illo Dii Manes ro-  
gentur. Supersunt enim hodiernum in  
numis exactissima rogi exempla , in qui-  
bus et structurae genus et ornamenta alia  
perspici accurate possunt , quae perfun-  
ctorie tantum HERODIANVS libr. III ,  
cap. 2 , atque DIO CASSIVS libr. LVI  
delinearunt. Tabulata singula , quorum  
quatuor aliis , aliis quinque imponuntur ,  
sunt quodam a se discriminē distincta ,  
ita quidem , ut secundum primo , ter-  
tium secundo , et sic deinceps usque ad  
summum sit contractius. Supremum enim  
omnium est minimum , ipsum lectum ,  
in quo recondita erat cerea defuncti  
imago , sui ambitu complectens , cuius  
in fine faces non nunquam ardentes por-  
riguntur , quorum tamen loco aliquan-  
do genios e ligno efformatos substitui ui-  
deas. Quid autem per eurrum cum bigis  
aut quadrigis in supra mea rogi parte con-  
spi-

de apoteosi , s. consecratione Impp.  
Romanorum. Argentorati , 15  
CCXXX , 4.]



*spicuum indicetur, haut facile diuinauerim.* — — *Quam ob rem currum et quadrigas pro indicando animae in coelum transportatione in numis depingi cum OCCONE crediderim.* Si quis deinde rerum communium, publicarum, et ad uniuersitates pertinentium imagines et symbola contemplandi cupiditate quodam tenetur, eius sitim facile explebunt tot insignes atque elegantissimi numi, in quibus maria, litora maris, flumina, portus, curiae, basilicae, theatra, similiaque opera elegantissime depinguntur. Ut seruemus institutum, et uel specimine quodam usum rei uinariae et hic ostendamus: neminem ignorare arbitramur, occasione § II, INSTIT. DE RER. DIVIS. et notissimae LEGIS VIII DIG. DE LEG. RHOD. DE IACTV acriter disceptatum esse inter uiros doctos, utrum Romani mare pro re communi omniumque exposita usibus habuerint, an illud in dominio suo esse crediderint? Prius in iure nostro passim affirmatur,

F

tur,



tur, y) atque inde colligitur, licere omnibns in mari nautigare, et piscari, z) immo et illius partem, molem seu pilam iaciendo occupare, a) aeque in litore tanquam in fundo communis pro llibitu aedificare, b) modo ne haec omnia impedianc alios, usumque maris publicum reddant detericrem. c) At iidem ideo non negarunt, mare et litora maris tanquam rem nullius posse occupari, idqne uel ex loco PAVLLI d) tam.

y) § 2 *Instit. de rer. diuis.* L. 2, § 1  
D. eod.

z) L. 4 l. 5 § 1 D. eod. l. 14 D. de ad-  
qu. rer. dom.

a) L. 30, § ult. D. de adqu. rer. dom.  
l. 52 § ult. D. de act. emt.

b) L. 4 D. ne quid in loc. publ.

c) L. 3 l. ult. D. eod. l. 50 D. de adq.  
rer. dom. l. 1 § 18 de nou. op. nun-  
ciat. l. 24 D. de damn. inf.

d) L. 14 D. de iniur.



nam Iuculenter demonstratur, ut testimoniū illud et GROTIO, acerrimo libertatis maris defensori confessionem de proprietate maris, quā occupari potest, occupatumque est extorserit: e) ut iam non dicam de testimoniiis aliis, ex libris nostris magna cura conquisitis a IO. SELDENO, f) aliisque quae ex uetus tis auctoribus post SEL DE NVM depromunt IAC. GOTHOFREDVS, g) et illustris a BYNKERSHOEK h) qui et marmor protulit ex VVHELERO i) in quo Imperator appellatur δεσπότης γῆς οὐαὶ θαλάσσης, tersae marisque dominus. Quemadmodum

F 2

- e) BYNKERS. *de dom. mar. cap. VIII*,  
p. 409.
- f) *De mari clauso Libr. I cap. XXIII*,  
sequ.
- g) *De imp. mar. cap. XII pag. 58, sequ.*
- h) *De dom. mar. cap. VIII, p. 395.*
- i) *Itiner. Graec. Part. I, libr. I, p.  
213.*



admodum ergo inde luculenter demonstratur, nihil obstitisse illam communio-  
nem, quam mari ex iure naturae et gentium tribuerint iureconfulti, quo mi-  
nus illud occupari a populo mari potente possit, et reipsa a Romanis occupatum et in dominium suum redactum esse faterentur: ita argumentum hoc prae-  
clare illustrant bini gentis Corneliae nu-  
mi, quos post FVLV. VRSINVM k) elegan-  
tissime delineatos dedit LAVR. BEGERVS.  
l) Is in aduersa parte silit caput dia-  
demeate cinctum, afficto sceptro, cum  
litteris c. P. R. quamuis VRSINI ectypus  
rectius pro C, exhibeat G, ut litterae  
hae signent uerba: *Genius Populi Ro-  
mani*: in auersa sceptrum laurea orna-  
tum, orbem terrarum mari circumda-  
tum, ad temonem, infra CN. LEN. Q.  
et in altero LENT. CVR. \* FL. in me-  
dio ex sc. Prior ergo Cn. Lentulus  
Quaestor fuit, quando hic numus eu-  
sus

k) De num. famil. Rom. pag. 85.

l) Thesaur. Brand. Tom. II, p. 550.

sus est, posterior curator, id est, denariorum flandorum: quamuis quum plures Lentuli Cnei praenomen tulerint, uix ostendi poscit, quis ille sit, cuius nomen in hoc denario legimus. Ut cunque uero se se res habeat: non potuisse sane dominium orbis, uel terrae marisque, quod sibi populus Romanus arrogabat, elegantius adiumentari, quam emblemate, quod in nummo hoc gentis Corneliae conspicimus. Genius populi Rom. ipsum populum Romanum significat: sceptrum et corona florentissimi imperii in terras, gubernaculum imperii maritimi symbola sunt, quamuis et sceptrum ad maris imperium referat  
**OPPIANVS, m)** dum ad Antoninum **Caracallam.**

Σοῖς μὲν γὰρ ὑπὸ συντέροισι δάλασσαι  
 εἰλείται, καὶ φῦλα ποσηδάνων εὐαντεύουσαι.

F 3

Tuis

**m)** Halieutic. libr. III, init.



*Tuis enim sub sceptris mare  
uoluitur et greges Neptuni incolarum.*

Denique ne quid ignoret, quid imperio suo contineant Romani, medium locum inter sceptrum et temponem uel gubernaculum obtinet orbis mari circumdatus: adeoque co symbolo uere exprimitur, quod scribit APPIANVS: n)  
 Οτι Ρωμαίοις ἀπὸ τε δύσεων καὶ τοῦ πρὸς ἐσπέραν Ωκεανοῦ, ἐπὶ τὸ κάυπιστον ὄρος, καὶ πολαμὸν Ευφράτην, καὶ εἰς Αἴθιοπας τοὺς ἄνω δι τοῦ Αἰγύπτου καὶ Λεβάντων ἐπὶ τὸν εών Ωκεανὸν ἡ αὔχη διεξέρχεται. Καὶ ὄρος εἰνὶ αὐτοῖς ὁ Ωκεανὸς αὔχομένον τε καὶ δυομένου τοῦ Θεοῦ Δαλάσσοις τε πάσης ἡγεμοιένουσι τοῖς εὐτοῖς ὅστης, καὶ νήσων ἀπασῶν, καὶ εὐτῷ Ωκεανῷ Βρεττανῷ. Siquidem Romani ab occidentali oceano ad Caucasum montem et fluvium Eupratem, et Aethiopas, qui sunt supra Aegyptum et Arabiam, usque orientalem oce-

n) Proefat. pag. 5, edit. STEPHAN.

oceanum imperant, atque ita ab occa-  
 su ortuque solis clauduntur oceano, ma-  
 ris quoque mediterranei totius tenent  
 dominium, et insularum omnium, at-  
 que etiam in oceano Britanniae. Sed  
 quid hoc tam splendidum symbolum ad  
 Cornelios, et maxime ad Lentulos?  
 Quamuis enim uictoria Romanorum ar-  
 ma longe lateque circumtulerint Corne-  
 lii: ea tamen laus maxime Scipiones,  
 Coslos, Merulas et Sillas pertinet, et  
 ne horum quidem ullus rebus quantum-  
 cumque praeclare gestis uidetur effecis-  
 se, ut Romani uel uniuersi orbis terra-  
 rum, uel saltim terrae marisque impo-  
 rio per plerasque cultiores Europae,  
 Asiae, Africæque partes potirentur:  
 tantum abest, ut Lentulorum quisquam  
 hanc laudem iure tribuere potuerit ma-  
 ioribus suis. Itaque non dubito, quin  
 auctor huius numi, quisquis fuerit,  
 gentis suae fata exprimere uoluisset.  
 Percrebuerat enim in gente Cornelia fa-  
 ma, contineri libris Sibyllinis tres Cor-  
 nelios Romæ rerum potituros, ac pro-

F 4

inde



inde praefuturos esse orbis imperio. Id quod ad se traxisse P. Lentulum Suram, coniurationis Catilinariae locum, ita refert SALLVSTIVS : o) Eadem Galli fateruntur, ac Lentulum disimulantem coarguunt praeter litteras sermonibus, quos habere solitus : Ex libris Sibyllinis regnum Romae tribus Cornelii portendi : Cinnam atque Sullam antea : se tertium, cui fatum foret : praeter ea ab incenso Capitolio illum esse uicesimum annum, quem saepe ex prodigiis haruspices respondissent bello ciuili cruentum fore. Quam spem Lentulo factam nec PLVTARCHVS p) dissimulat. Iam si ea opinio fortassis Corneliorum animos, uti fieri solet, persuasit : quid mirum, si Lentulorum aliquis spes suas ambitione donarit, et gentis suae denariis ueluti in antecesum iactarit illud a fatis destinatum orbis imperiuin ?

### Doctri-

o) *Catilin.* cap. xxxvii.

p) *In Ciceron.* pag. 869.



Doctrinam de *iure rerum* in Pandectis nostris excipit illa, quae ad *iurisdictionem* pertinent. In hac iurisprudentiae parte quam multa nobis numi praefidia sufficient, quibus tituli de officiis magistratum non modo illustrentur, uerum etiam explicentur, iam illustris SPANHEMIUS ostendit. Quamobrem pauca quaedam, quae ad doctrinam de *iurisdictione* eo rectius intelligendam comparata sunt, addere iuuabit. Nihil est, quod magis crucem figat iureconsultis, quam illud iurisdictionis et imperii discriminem, quod leges nostrae inculcant, in quo explicando quum toti sint viri doctissimi, semper tamen aliis relinquunt, in quo aestuent, quodque uellicent, ut uix, ubi pedem figant, habere uideantur. At imperium merum et mixtum, ipsamque iurisdictionem signis suis preclare discernunt numi ueteres Romanorum. Iurisdictionis enim symbolum est sella curulis cum bilance et cornu Amaltheae, quale exhibent denarii gentium Flaminiae, Fulniae, et Liciniae.

F §

apud



apud SPANHEMIVM q) et FVLV. VRSINVM :  
r) imperii mixti sella curulis cum sex  
utrinque fasribus sine securibus , qualis  
occurrit in duobns numis gentis Liui-  
neiae , eruditae explicatis a laudato SPAN-  
HEMIO : s) imperii denique meri sella  
curulis , et utrimque fasces cum illigatis  
securibus , quale symbolum habes in nu-  
mo gentis Furiae apud CAR. PATINVM ,  
t) alteroque gentis Mamiliae apud VAIL-  
LANTIVM. u) His uero symbolis quid  
reperiri posset rei conuenientius ? *Sella*  
*curulis* inter praecipua magistratum in-  
signia fuit , quae testibus LIVIO , x) FLO-  
RO

q) *De nsu et praef. num. Tom. II,* p.  
104.

r) *Numism. fam. p. 152.*

s) *Ibid. p. 107, sequ.*

t) *Ibid. p. 117.*

u) *Num. famil. Rom. Tom. I,* pag. 474.

x) *Libr. I, cap. VIII.*



ro y) et MACROBIO z) ab Etruscis acceperunt Romani, ac proinde *curule ebur* pro dignitate potestateque magistratum majorum accepit HORATIVS, a) dum cecinit :

*Cuilibet hic fasces dabit, eripietque  
CURVLE  
importunus EBVR.*

*Libra*, ceu iam supra obseruavimus, officium ius suum cuique tribuendi, adeoque iurisdictionem; *cornu* denique *copiae* fructus uberrimos qui ex illa potestate iuris dicundi, si quis ea sancte ac religiose usus sit, ad rem publicam perueniunt, significat. Ergo hoc ipsum symbolum in numis uiuis veluti coloribus depingit rem, in sensus alioquin hand incurrentem, puta iurisdictionem,

eo-

y) *Libr. I, cap. V.*

z) *Saturn. libr. I, cap. VI.*

a) *Libr. I, epist. VI, u. 52.*



eoque signo demonstrat, iurisdictionem  
esse potestatem caussas cognoscendi suum-  
que cuius addicendi, iure magistratus  
competentem. Nec minus luculentet fa-  
sces cum securibus merum illud impe-  
rium, quod in potestate gladii uel animad-  
uertendi in facinorosos homines consi-  
stebat, b) uidentur adumbrare. Quo-  
ties enim supplicium more maiorum a  
facinorosis sumebant magistratus: toties  
uirgis caefos securi percuti iubebant. c)  
Id uero perspicue ostendunt fasces et se-  
cures, qui initio urbanis, ac postea pro-  
uincialibus saltim magistratibus, tanquam  
signum potestatis animaduertendi suppli-  
ciuunque more maiorum sumendi pree-  
ferebantur. Quemadmodum ergo sub  
imperatoribus gladius erat imperii meri  
infigne, ac proinde de *Plautiano* scri-  
bit HERODIANVS: d) Προηγένετο τις αὐτῷ  
ξίφος,

b) L. 3, D. de iurisdictione.

c) SALLVST. Catiln. cap. LI,

d) Libr. III, cap. XI.

ξίφος καὶ παντὸς ἀξιώματος σχῆμα ἔφερε  
 μόνος. Ensem praeterea gestabat cetera-  
 que omnia supremae dignitatis insignia:  
 ita libera adhuc re publica eundem usum  
 praestabant fasces cum securibus. Et quem-  
 admodum tum securi caedebantur, in  
 quos animaduerti iubebant magistratus:  
 ita sub Imperatoribus illi fere gladio  
 subiiciebantur, et hinc diserte monet  
 VLPIANVS, e) animaduerti oportere  
 gladio, non securi, uel telo, uel fu-  
 sti, uel laqueo, uel alio modo. Quod  
 adeo extra omnem dubitationis aleam  
 positum est, ut uel ideo maxime Anto-  
 ninus Caracalla obiurgaret milites, qui  
 in Papinianum animaduertere iussi, eum  
 gladio percusserant, diceretque Gladio  
 te exsequi oportuit meum iussum. f)  
 Qua de re solida et bonae frugis ple-  
 nissima sunt, quae mouerunt PETR. EA

BER,

e) L. 8, § 1, D. de poen.

f) SPARTIAN. Carac. cap. IIII.



BER, *g*) IVST. LIPSIVS, *b*) et IS. CA  
SAVIRONVS. *i*) Denique et imperii mix-  
ti nullum aliud erat signum evidentius,  
quam fasces sine securibus a lictoribus  
praelati. Sicuti enim illud gestamen,  
ipsique lictores monebant obuios, praet-  
orem aliosque maiores magistratus pos-  
se aliquem coercere, et iubere in car-  
cerem duci: *k*) ita simul illis exime-  
bat securium terrorem, satis quippe  
uel ipso fascium conspectu edoctis, ad  
animaduersionem illam, quae securi vel  
gladio fieri solet, non pertingere praet-  
orum potestatem, sed ei solam iurisdi-  
ctionem cum imperio mixto ut magistra-  
tus competere.

Se-

*g) Semestr. Libr. I, cap. IIII.*

*b) Ad TAC. annal. Libr. IIII, cap.  
67.*

*i) Ad SVET. Aug. cap. XV.*

*k) L. 12, D. de in ius uocis*



Sequitur iam doctrina de *in iur uocatione*, quam mirifice illustrant vetera numismata. Inde enim ritum antestandi, inde et transuictionem equitum, ob quam alterum in ius uocare non licebat, discimus, ceu nos iam supra meminimus obseruare, Iam tantum quaedam ad illustranda *Cai 1)* et *PAVLLI m)* nostri fragmenta pertinentia, adiiciimus. Ait *CAIVS*, plerosque putasse, nullum de domo sua in ius uocari licere, quia domus tutissimum cuique refugium, atque receptaculum sit, isque, qui inde in ius uocet, vim inferre uideatur. Addit *PAVLLVS* nouam ac tertiam rationem, quia satis poenae subire uideatur is, qui latitet et non defendatur, dum aduersarius in possessionem bonorum eius mittatur. Denique uterque limitibus quibusdam hanc regulam circumscribit, monetque, quod quis uocari possit ex uinea,

1) *L. 18, et l. 20, D. de in ius uoc.*

m) *L. 19, D. eod.*



uinea , balneo et theatro , itemque de domo , si aditum ad se praestet , aut ex publico conspiciatur , denique si non extrahatur e domo , sed euocetur . At quamuis hic permultas rationes accumulent ueteres iureconsulti : uereor tamen , ut illa earum genuina satisque solida sit . Neque enim in iis ita acquisitore potest quisquam , ut non denuo quaerat , cur sua cuique domus tam tutum refugium receptaculumque fuerit ? cur nihil obstiterit , quo minus quis ex publico conspectus , uel aditum ad se praestans , itemque qui in uinea , balneo uel theatro esset , in ius vocaretur ? Fallor ego , aut rem omnem solus expedit CICERO , n ) qui conquestus de iniuriis Clodii : Quid , inquit , est sanctius , quid omni religione munitius , quam domus uniuscuiusque ciuium ? Hic arae sunt , hic foci , hic dii penates , hic sacra , religiones , caerimoniae , continentur . Hoc perfugium sanctum est omni-

n ) Pro domo , cap. XXXXI.

*omnibus, ut inde abripi neminem fas sit.* Itaque hoc ius asyli aedibus praestabat Deorum Penatium religio. Hic enim lararium, id est, pars aedium consecrata, seu sacrarium, o) in ipso saepe cubiculo Laribus dedicatum, p) hic focus, deorum Penatium sedes, hic sacra priuata, et religiones deorum Manium, hic denique uariae caerimoniae, coronationes, suffitus. Quibus omnibus tanta deberi videbatur reuerentia, ut merito sua cuique domus tutissimum perfugium praebere deberet. Iam quum nemo ignoret Lares aequae ac Deos Penates alios publicos, alios priuatos, utrorumque aurem duos fuisse, quibus postea tertius, puta *genius Augusti* accesserit, ceu rem exprimit OVIDIUS:

q)

*Bina*

o) *SVET. Galb. cap. III.*

p) *Idem Domit. cap. XVII.*

q.) *Libr. v fast. n. 143.*

G



Bina gemellorum quaerebam signa  
Deorum,  
uiribus annosae facta caduca  
morae:  
mille lares GENIVMque DVCIS, qui  
tradidit illos  
urbes habet: et uici NVMINA  
TERNA colunt.

Publicorum Penatium figurae hastatae,  
accumbente porca, uisuntur, in parte  
aduersa numis gentis Sulpiciae, r) ad-  
scripta supra littera P. id est, Penates:  
infra C. SVLPICI. C. F. in auersa duo ca-  
pita iugata cum litteris D. P. P. i. e.  
*Dii Penates.* Et plane ita describun-  
tur etiam a DIONYSIO HALICARNAS  
SENSI.

Ge-

r) VRSIN. numism. fam. p. 267; et  
BEGER. Thesaur. Brauderb. T. II,  
p. 588.

*Genius* etiam *Augusti*, quem postea penatibus publicis additum diximus, saepe in Imperatorum numis visitur, quorum nescio an non antiquissimi sint illi Neronis apud MEDIOBARVM. s) In omnibus vero, quos inspexi numis hic Augusti Genius pingitur nudus, capite turrito, dextra pateram, sinistra cornu copiae tenens, addita epigraphe: GENIVS AVG. De priuatis Penatibus recte a IO. FR. GRONOVIO t) obseruatum est, eorum alios fuisse gentium, aiios domum singulorum: hos fuisse Manes maiorum iu stirpe cuiusque, de quibus; Cornelia, Gracchorum mater ad filium: u) *Vbi mortua ero, parentabis mibi, et inuocabis deum parentem.* In eo temporene pudet te eorum  
deum  
G 2

s) *Numism. Imp. p. 90.*

t) *Diatr. in PAPIN. STAT. cap. XXXX III, p. 294.*

u) *In fragm. CORNELII NEPOT.*



*deum paces expetere , quos uiuos atque  
præsentes relictos atque desertos habue-  
ris ? illos heroas , a maioribus cultos ,  
aut susceptos etiam ex publicorum nu-  
mero , sumtosque peculiaris tutelae gra-  
tia , quales priuatos diuos appellat PRV  
DENTIVS. x) Quis uero ignorat , quam  
multae majorum imagines gentes Roma-  
nae in denarijs sui ostentent ? Pertinere  
sane hoc dixeris Numae Pompilii et Anc.  
Marci iugatos uultus in numis gentis  
Marciae , y) eiusdemque Numae in  
Pompeiae denariis. z) Eorum enim  
tanquam progenitorum deos Manes sum-  
ma religione coluisse uidentur gentes il-  
lae florentissimae. At ipsos priuatos La-  
res demum deprehendi in denario gen-  
tis Caesiae pulcherrimo apud FVLV. VRSI*

NVM,

x) *Libr. I, adu. Symmach. n. 214.*

y) *VRSIN. fam. Rom. p. 168.*

z) *Idem p. 217.*

NVM, a) cuius in antica Veiois nul-  
lus est cum litteris PA. id est, *Pater*,  
in postica duae figurae hastatae superius  
nudae, inferius pellibus inuolutae, in-  
ter quas infra canis, superius caput Vul-  
cani cum forcipe, adscriptis litteris LA  
GR. i. e. LARES, infra: L. CAESI. Ea  
Lares familiares, eodem schemate, quo  
eos induit PLVTARCHVS, b) dum quaerit:  
Διά τί τῶν Λαρητῶν, οὓς ιδίως πραιτί-  
τας καλοῦσι, τάντοις κύων παρέσχεν,  
αὐτὰ δὲ κυνῶν διφθέραις ἀμπελούται;  
cur Laribus, quos proprie Praestites  
uocent, canis adfistat ipsi autem canum  
pellibus uestiantur? Cuius rei deinde plu-  
res reddit rationes, in primis uero,  
quod domus custodes sint, et alienis  
formidolosi, mites uero mansuetique do-  
mesticis: Id et OVIDIVS c) uersibus ele-  
gantissimis expresit:

G 3

At

- a) *Famil. Rom.* p. 54.
- b) *Quaeſt. Rom.* p. 276.
- c) *Libr. v faſtor. u.* 137.



*At canis ante pedes, saxo fabricatus  
eodem,*

*stabat, quae standi cum Lare  
causa fuit?*

*Seruat uterque domum, domino quo-  
que fidus, uterque,  
compita grata Deo, compita gra-  
ta cani.*

*Exagitant et Lar, et turba Diania  
fores:*

*peruigilantque Lares, peruigi-  
lantque canes.*

Nec ~~fine~~ ratione in denario nostro Vul-  
cani caput deprhendimus. Est enim il-  
le Deus, cui focus sacer erat, in quo  
Larium familiarium sedem fuisse, dixi-  
mus. Hinc Graecis Penates sunt dii  
 $\epsilon\varphi\acute{e}\gamma\iota\omega\iota$ ,  $\alpha\omega\dot{\iota}\tau\eta\acute{s}\,\acute{\epsilon}\gamma\acute{\iota}\alpha\acute{s}$ , a foco, qui il-  
lis

lis facer erat. d) Iam ergo non difficile intellectu est, cur nihil domo sanctius, nihil omni religione munitius fuerit. Neque enim fas erat, alicui vim inferre eo loco, ubi Lares, domus custodes, permultis caerimoniis ab uniuersa familia colebantur, ubi aerae, foci, lararia, Diis manibus erant consecrati, denique ubi ius asyli erat et tutissimum perfugium.

Eodem libro II, qui tractatum de iurisdictione atque in ius uocatione complectitur, etiam doctrinam DE PACTIS et TRANSACTIONIBVS enarrari animaduertimus. Inter has pactiones primum sibi locum merito depositunt illae, de quibus VLFIANVS: e) *Publica conuentio est, quae fit per pacem, quoties inter se duces belli quaedam paciscuntur:*

G 4

quam-

d) COEL. RHODIG. *Lect. ant. Libr. XV, cap. 18.*

e) L. 5, D. de pact.



quamvis hoc exempli magis, quam  
descriptionis causa attulisse videatur iu-  
reconsultus. Tales pactiones publicas il-  
lustrant denarii gentis sive Vettiae sive  
Veturiae, (de eo enim inter se disce-  
ptarunt viri doctissimi VRSINVS, PATI-  
NVS, f) VAILNANTIUS, g) MORELLIVS,  
h) PERIZONIVS et EZ. SPANHEMIVS, i) in  
quibus duae figurae stantes, et media  
genu flexa, porcam sinu tenens cum  
litteris: ROMA. Evidem ad quod foed-  
sus hi numi pertineant, non facile dixe-  
rim, quamvis alii illos ad foedus, quod  
inter Romulum et Tatium, Sabinum,  
coaluit, alii ad pacem, inter Romanos  
et Ligures factam, referant. In cuius-  
cunque uero uel pacis uel foederis me-  
moriā cūsi sint; certum est, ritum  
pan.

f) *De numism. famil. p. 289.*

g) *Famil. Rom. Tom. II, p. 534.*

h) *Epist. consular.*

i) *Tom. II, p. 204.*

pangendi foedera illis elegantissime adumbrari. Habemus enim in illis faetialeum hastatum, et dextra ostendentem porcam; habemus ducem belli paludatum, baculum ad eandem porcam portendentem. Haec uero procul dubio nihil aliud significant, quam quod de ueteri ritu pangendi foedera memoriae prodiderunt POLYBIUS k) et LIVIUS, l) quorum ille, agens de foederibus, cum re publica Carthaginienium initis: Τὸν δὲ ὄρκον, inquit, ὅμνειν ἔδει τοιοῦτον. Εἴτι μὲν πρώτων συνθηκῶν Καρχηδονίους, μὲν τοὺς Θεοὺς τοὺς πατρῷους, Ρωμαίους δὲ δία λίθον κατὰ τις πλαισίον ἔθος. Επὶ δὲ τούτῳ τὸν Αἴγενον καὶ τὸν Εὐαλίον. Εἰσὶ δὲ τὸ δία λίθον τοιούτον. Λαβῶν εἰς τὴν χεῖρα λίθον ὁ ποιούμενος τὰ ὄρκια περὶ τῶν συνθηκῶν, ἐπειδὰν ὅμόσῃ δημοσίᾳ πιστεῖ. λέγει τάδε. Εὐορκουντι μὲν τοιοῖν τάγαθα, εἰδὲ ἄλλως δικαιοθεῖν τι ή τοιούτα, πάντων τῶν ἄλλων σοζομένων ἐν ταῖς ἴδιαις πάλεισιν,

G 5

εὐ

k) Libr. III, cap. 25.

l) Libr. I, cap. 24.



ἐν τοῖς ἴδιοις νόμοις, ἐτὶ τῶν ἴδιων Βιῶν,  
 ἵερῶν, τάφων, ἐγὼ μόνος ἐκπέσοιμι σύλλογον,  
 ὃς ᾧδε λίθος νῦν. Καὶ ταῦτ' εἰπών πίπτει  
 πόνον λίθον ἐν τῇς χαιρόσ. Porro iusiu-  
 randum eiusmodi dandum erat. Primo  
 foedere Cartaginenses quidem per deos  
 patrios iurarunt. Romai uero Iouem  
 lapidem ex uetere quodam ritu: deinde  
 Martem et gradium patrem. Mos au-  
 tem iurandi Iouem lapidem est hic: Fae-  
 tialis, qui iureiurando foedus firmat,  
 postquam fide publica iuravit, lapidem  
 in manus sumit, atque haec dixit: Si  
 fidem seruasso, tum me dii adiuuent;  
 si in sciens fecerero, tum ego, saluis cete-  
 ris omnibus, in suis patriis, suis legi-  
 bus, suis penatibus, sacris, sepulcris,  
 solus exterminer, ut hic nunc lapis: et  
 simul lapidem manu eiicit. Hic autem,  
 puta LIVIVS, eundem ritum ex antiquis  
 monumentis hunc in modum describit:  
 Faetialis erat M. Valerius, patrem pa-  
 tratum Sp. Fusum fecit, uerbena caput  
 capillosque tangens. Pater patratus ad  
 iusurandum patrandum, id est, san-  
 cien-

ciendum sit foedus, multisque id uerbis,  
 quae, longo effata carmine, non operae  
 est referre, peragit. Legibus deinde re-  
 citatis: Audi, inquit, Iupiter, audi,  
 pater patrate, populi Albani, audi tu po-  
 pulus Albanus, ut illa palam prima, po-  
 strema, ex illis tabulis, ceraue recitatae  
 sunt, sine dolo malo, utique ea hic ho-  
 die rectissime intellecta sunt, illis legi-  
 bus populus Romanus prior non deficiet.  
 Si prior deflexit publico consilio, dolo ma-  
 lo: tu illo die, Iupiter populum Roma-  
 num sic ferito, ut ego hunc porcum hic  
 hodie feriam: tantoque magis ferito,  
 quanto magis potes pollesque. Id ubi  
 dixit, porcum saxo siice percussit.  
 Haec omnia tam accurate depinguntur in  
 nummo illo, maxime apud SPANHEMIVM,  
 ut si uerba inrantium exprimere potuisset  
 artifex, interesse nobis illi actui, omnia-  
 que coram spectare uideremur. Sunt  
 tamen et alia numismata, quae modum  
 pacisendi pangendique foedera praecla-  
 re illustrant, ueluti quae duas dextras iun-  
 ctas una cum caduceo exhibent, qualia  
 plura



plura passim occurruant in gentium Mumiae, Muasidiae, Semproniae et Siliae, immo in ipsis Imperatorum numis; ex quibus patet iunctis dextris, notissimo consensu concordiaeque signo, foedera pangi ac sanciri consueuisse. Et de his quidem iam, quantum satis est, dixit SPANHEMIUS. m)

Attamen nos iam paucis monemus, posteriores illos numos, qui iunctas dextras cum caduceo exhibent, ad illustrandam magis transactionis, quam pactiōnum reliquarum, naturam pertinere. Solebant enim caduceum pretendere, qui conciliandis hostibus operam esfent daturi, adeoque semper compenebatur lis vel causa dubia, id est, causa super qua transigunt. PLINIVS; n) Hic tamen complexus anguum et efferatorum concordia

m) De usu et praest. num. Tom. I, p.  
143.

n) Hist. natural. libr. XXVIII, cap. 3.

dia causa uidetur esse, quare exterae gentes eaduceum in pacis argumentis circumdata effigie anguum fecerint. Neque enim cristatos esse in caduceo mos est. Vnde et caduceatorum usus inter hostes, uel locum tempusque colloquio, o) uel ueniam, inducias, pacemue petentes. p) Inter gentes uero pacem idem esse, quod transactio inter priuatos, nemo temere negauerit.

Sic breui specimen satis demonstrasse mihi videor, iureconsultum fructum uberrimum capere posse ex uetusis numismatibus. Quum enim duo primi pandentes libri tantam lucem ex illis antiquitatis reliquiis capiant: quis dubitaret, quae-  
so, quin et sequentrs inde praeclare pos-  
sent illustrari, si tantam reruin ubertatem  
ca-

o) *LIV. libr. xxxii, cap. 32.*

p) *LIV. libr. viii, cap. 20; lib. xxxi,  
cap. 38; l. xxxii, c. 32; l. xxxiii, c.  
21; l. xxxviii, cap. 45.*



caperent angustiores praefationis limites? Ceterum affirmare possum, uel pauca haec, quae multis obrutus negotiis in chartam conieci, adeo me scribentem oblectasse. ut consilium ceperim, telam coeptem alia occasione, si DEO ita uisum fuerit, partexendi, usumque ac praestantiam ueterum numismatum et in reliquis iuris ciuilis partibus ostendendi.

## EXPLICIT FELICITER

---

NORIMBERGAE

E TYPOGRAPHEO IOANNIS JOSEPHI  
FLEISCHMANNI A. S. R  
•••••  
1584





Mb 1635


5

80

VO 18

M 16





IOANNIS GOTTLIBI  
HEINECCII

COMMENTATIO

x-rite

colorchecker CLASSIC



100 100 100 100 100 100 100 100 100 100 mm